RUDIUS (EUSTACHIUS) 1551–1611.

916. De Virtutibus, et Viciis Cordis. Libri tres. Primus agit de virtutibus & functionibus Cordis. Secundus de Palpitatione cordis. Tertius de Syncope. sm. 4°. *Ven., apud P. Meietum*, 1587.

MS. notes in margins.

One cannot but admire with Ceradini 'la fervida immaginazione' of Zecchinelli (1776–1481) who claims for this Padua professor the honour of teaching Harvey the use of the valves of the heart and of discovering the lesser circulation. Z.'s book, 'Delle dottrine sulla struttura e sulle funzioni del cuore e delle arterie', Padua, 1838, I have not been able to get, and it is not in this country. The S. G. L. has it. Rudius was teaching at Padua and Harvey may have known him, though he does not (I think) refer to him or his book in any of his writings. The account of the action of the valves (no. 917, leaf 25) is practically the same as in Galen and Colombo, and the pulmonary circulation had already been described by Servetus, Colombo, and Caesalpinus. A just criticism of Rudio's claims will be found in Flourens (no. 751) p. 225, and Ceradini (no. 754) p. 111.

[W. O.]

EVSTACHII RVDII BELLVNENSIS MEDICI, ET PHILOSOPHI

DE VIRTVTIBVS, ET VICIIS CORDIS.

LIBRI TRES.

Primus agit de Virtutibus & functionibus Cordis.
Secundus de Palpitatione cordis.
Tertius de Syncope.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,
Apud Paulum Meietum Bibliopolam Patauinum.
M D LXXXVII.

AMPLISSIMIS

ATQVE ILLVSTRIS-MIS.

PATAVINÆ ACADEMIÆ

PRAEFECTIS.

CVM medendi facultatem plures annos studiosè coluissem, & quotidiano vsu pertractarem. Sæpius animaduerti, humani cordis vitia, eorumque causas eiusmodi esse, vt indagationem habeant perdifficilem, curationem propè nullam recipiant. Obseruaui etiam, quæ à præstantissimis artis Auctoribus sunt de cordis affectione prodita, ea non modò diuersis, verum etiam contrarijs discrepare sententijs. Horum vtrunque molestè ferebam, & humani generis vicem ita dolebam, vt non prius quiescendum arbitrarer, quàm aliquid cuderem, quod laborantibus salutare, studijs institutis aptum, & ea Gymnasij Marciani Exhedra, quæ mihi à vestra celsitudine fuit elargita, non indignum existimarem. Itaque humani cordis affectus prosequutus, lucubrationem meam illustrissimi instauratores vestræ amplitudini dicatam, vestro nomine insignitam, in excelsa ista, & perillustri specula constituo, vel quod materiæ dignitas (ea est omnium, quæ in philosophia, ac medicina tractantur, longè nobilißime)

bilissima) id postulare videbatur; vel quod auctoris obscuritas claritatis vestræ lumen, splendoremque desiderabat; vel denique, quòd huius opusculi vitia omnium oculis in editissimo loco exposita diutius latere non poterunt. Neque enim is sum, qui inscitiæ errata condonari, mihique ab alijs ignosci postulem, cum mihi ipse (si dies, ætas studium, vsus vnquam potiora protulerint) nequaquam parcere statuerim. Cuiuis igitur libellum hunc nostrum liberè reprehendere, & acriter carpere liceat, non reclamabo. Dummodo veritas densissimis oppressa tenebris aliquando eruatur, non tam mihi de ingenij, ac doctrinæ fama, quàm de humani generis incolumitate laborandum intelligo. Proinde si quis industria meæ conatum studio suo, aliqua ex parte, iuuerit, ei me non vulgarem gratiam habiturum profiteor, atque recipio.

Eustachius Rudius

Bellunensis.

EXHORTATIO AD ECCELLENTISSIMVM RVDIVM

HIERONYMI SINII Foroiulienſis.

ABdita qui reſeras naturæ arcana parentis;
Naturæ artifices Rude imitare manus.
In medio alma parens poſuit præcordia: pone
In medio ingenij pignora certa tui.
Illa parem ex æquo diſpertit corde calorem,
Aequa tibi humanum cura leuare genus.

M

[illegible]

EVSTACHII RVDII BELLVNENSIS

DE VIRTVTIBVS ET VICIIS CORDIS.

LIBRI TRES.

DE VIRIBVS CORDIS.

LIBER PRIMVS.

Cordis facultates enumerantur, & earum necessitas demonstratur. Cap. I.

CVM inter omnia humani corporis vicia, ea, quæ cor affligunt & cognitu, & curatu difficillima sint; nos de ijs tractaturi accuratissimi esse debemus. Quare eo Duce, qui solus intuetur cor, ab ijs, quæ sunt facillima (quemadmodum nos docuit Hipocrates) & ob euidentiam ob omnibus conceduntur, exordientes, statuamus ex communi omnium Philosophorum, & Medicorum sententia, cor esse vitæ principium; est enim illud, vt inquit Philosophus, quod primo viuit, & vltimo moritur. Accipiamus præterea, ex communi quoque omnium consensu, ipsum irascibilis facultatis, quæ à nonnullis animosa quoque vis solet appellari, principium esse. Illud quærere desinentes, vtrum vis irascibilis pars animæ, vel species, vt ait Pla-

Hip lib. de his q̄ fiunt in med.

Arist. 1. de genere a-lium c.16.

Animosa uis.

Hippo. 2. uul. morb.

Gale. passim 16. de Plac. & 7. de plac. ca. 3. in princ. & 6. de vsu part. 18. in fine & Pla. in Tim & 4. de Rep. Gal. 7. Pla. c. 3. in principio. Gale. 6. de Plac capit 2 prope finem. Gale. 6. de vsu part. c. 7. post medium. Arist. 2. de anima cotex. 41. & 2. de part. anim. ca 7. & li. de ortu, & interitu. Arist. li. de Rep. c. 4. Gale. 6. de Pla. c. 8. cir. fine & eodem 6. capit. vlt. Plato in Tim. pagina 9. cir. medium. Gale. locis nuper citatis & Pl. 4. de Rep. Gale. 6. de Plac. c. 8. cir. finem.

to, vel potius vt voluit Aristoteles, animæ potentia, seu facultas statuenda sit. Huius facultatis, siue animæ partis necessitas communiter in cunctis animantibus est vitæ conseruatio; ea siquidem, vt ait Galenus in perturbationibus, (vtpotè dum animal ab alio iniuriam patitur, vel in corpore, vel in cibo, vel alia quapiam re, quæ vitæ necessaria sit) est quasi feruor quidam insiti caloris cum anima vindictam sumere de eo cupit, quod videtur offendisse. Quid enim prodesset sensibus ipsis, ea, quæ offendunt, cognoscere, nisi meritò irascibilis, seu animæ tenoris, atque constantiæ offendentiũ iniuriæ propugnarentur? Quid nobis præstaret pernitiosarum rerum cognitio, si eæ vnius timoris ope non euitarentur? particulariter autem in homine conducit ad bene viuere. propterea dicebat Galenus ex mente etiam Platonis, generationem ipsius fuisse necessariam, vt contra concupiscentiam ratio eam adiutricem haberet. Accipiamus tertio cor fontem esse, & radicem caloris innati, qui quidem calor tum propter vitam, tum propter virtutem irascibilem fuit necessarius. Propter vitam quoniam in viuentibus ipsius animæ precipuum instrumentum existit, anima vero viuendi principium est, dicebat Philosophus, qui vitam vno calore contineri, sine calore autem neque animalia, neque stirpes viuere tanquam potritum, & omnibus notissimum memoriæ mandauit; mortemque ipsam caloris extinctionem esse definiuit. Ipsum porrò irascibili animæ parti apprimè necessarium esse demonstrauit Galenus ita scribens de mente Platonis. „Summè calidum iracundiæ „viscus esse necesse est, concupiscentię verò nõ item. & rursus sicut „arteriarũm, ita spirituosi, & feruentis sanguinis cor est principium, „& fons, vt ex hoc iracundiæ sedem in eo locatam esse facilè cognoscamus. & Plato dicebat cor eius sanguinis fontem esse, qui per „omnia membra vehementer circumfunditur. is autem nullus alius „est, nisi calidior, arteriosusque cuius rationem subdens Galenus in„quit, vt cum iræ vis imperio rationis feruesceret, vbi iniustum ali„quid, siue extrinsecus ab alijs siue intrinsecus à libidinibus perpe„traretur, continuo quicquid in corpore sensiuum est per omnes „meatus, iussis, minisque satellitis, appatitorisque perceptis, exaudi„re, atque obedire posset; & ita rationem omnino sequeretur, & eam „tanquam in homine præcipuam dominari in omnibus sineret. „Quem postea Philosophi posteriores immitati definitionem iræ „caloris, qui in corde est, feruorem esse tradiderunt. statuamus insu-

per

per tamquam notissimum calorem hunc tum in substantia, & proprio subiecto, tum in qualitate moderatione indigere, ne scilicet aut dissipetur, aut suffocetur, quo fit vt in corde altera facultas fuerit necessaria, quæ à Galeno Pulsatilis nuncupatur, dum asseruit huius facultatis cor principium esse, & rursus idem dicebat ex cordis agitatione insiti caloris proportionē æquabilē conseruari. Cū.n. à pulsatili facultate cordis motus proficiscatur, is vt vitalē calorem moderaretur ex dyastole constat, in qua cor vndequaq; dilatatur, vt aerè, tenuiq; sanguine tracto insitū calorē tēperet, spirituiq; pabulum subministret, & systolæ in qua constringitur, vt fuliginosam spirituum substantiam exustione comparatam expellat, & influentem calorem singulis corporis partibus distribuat, vt iure contrarij motus in oppositos fines conspirent: dilatatio siquidem frigidum, & alimentum attrahit, constrictio vero calidum, & excrementum expellit. Tandem altera quoque proprietas, seu facultas in corde de necessitate requiritur, quæ (si nouā licet fingere nomina) spiritus genitrix nuncupari potest. nam vbi à pulsatili virtute aer, tenuisq; sanguis fuerit attractus, tum facultas hæc in has materias subiectas agens illas optimè concoquit, & spiritus vitales appellatos procreat. cui quidem muneri obeundo motus ipse pulsatiuus summopere opitulatur. à cordis enim assidua agitatione, & motu perenni, aerea sanguineaque substantia adeo exactè sibi inuicem permiscentur, & extenuantur, vt facillimè in spirituum naturā abire queant. vnde quemadmodum post ciborum attritionem ventriculus in eos proprias vires exercens meritò chilificatricis proprietatis, vt ait Galenus, & adiuuante calido chilum gignit: eodem prorsus modo, post aeris, & sanguinis mixtionem, & attritionem à spiritus creatrice facultate, adiuuante viuidissimo cordis calore, spiritus vitales generari opinandum est. Statutum igitur sit in corde præter vitam, & innatum calorem, in quo vita consistit, tres facultates, siue proprietates, quę ad vitæ, calorisque conseruationem diriguntur, fuisse necessarias. Quare cum tria sint principia (veluti dicebat Galenus) à quibus animalis iam geniti dispensatio fit. hinc apparet cur quēadmodum ea, quæ in cerebro, & iecore vigent, triplicem habere proprietatem: (animalis enim facultas rectricem, sensibilem, atque motiuam proprietatem expromit, vegetalis autem altricem, auctricem, & generatricem tamquam propagines germinat.) ita principium illud, quod in corde firmissimam sedem retinet, triplici quo-

Gale. 6. de Plac. c. 4. in prin.
Gale. 6. de Pla. 8. post medium.
& li. de vsu pulс.
Gal. lib. de pulс. vsu c. 2. 6. 7. & 8.
Gale. 3. de symp. cau. c. 1. cir. medium.
Gale. 7. de Plac. 3. in prin.
Gal. de differ. sympt. c. 3.
Gal. lib. de facult. nat. c. 5.

moderator caloris

propatio [?] cordis agitatione

spiritum genitrix

ciborum attritio.

que proprietate irascibili nempe, pulsatili, & spiritus genitrice fuerit insignitum.

De pulsatilis in animantibus necessitate, & cur stirpanimalia, & stirpes ea fuerint destitutæ. Cap. II.

Verum hoc in loco ambiguitas insurgit per ardua quidem illa, sed ad vitiorum cordis illustrationem, depulsionemque apprime vtilis. Hanc verò prius non aggrediar, quàm eorum hominum genus, qui non nisi morborum remedia, & signa quærunt, commonefaciam, vt primo capite perlecto, & ijs, quæ in eo traduntur suppositis, & rectè memoriæ mandatis, cæteris ommissis ad 2. lib. quàmprimum se conferant, non minus enim morborum cordis profligationem assequi poterunt. Illi autem optimi viri, qui peruestigandæ veritatis amore flagrant, has, quæ sequuntur, contemplationes, quæ veluti virtutum cordis anatome quædam eius lapsus, præter naturales summopere poterunt dilucidare semel saltem videre voluptatis gratia non recusabunt. Quibus exordij loco illud idem prælibare arbitratus sum, quod Diuinus admonuit Plato in persona Timei, vt scilicet in perarduis, difficillimisque rebus, probatissimas, exactissimasque rationes non expectent; sed satis me fecisse putare debebunt, si nõ minus probabiles, quàm quiuis alius, rationes attulerim. qui enim fieri potest, si sectæ peripateticæ Principes probabilia seruere, vt à me omnium medicorum infimo necessaria metãtur? Æquum igitur sit meminisse, & me, qui disserã, & illos, qui iudicabunt homines esse, vt si probabilia dicentur, nihil vlterius requirant. His præmonitis ad difficultatem me conuerto, quæ consistit in hoc. Plantæ, tametsi neque vita, neque innato colore sint destitutæ, eæ nihilominus pulsatili facultate caruere. quæ igitur fuit in animantibus huius necessitas? Nec tollitur difficultas, si dicamus stirpes esse corde priuatas, quia statim quis posset instare cum Aristotile in his particulam aliquam cordi proportione respondentẽ reperiri. Exẽpli gratia, partem in stirpibus inter radicem, & truncum interpositam (quæ radicatio à Gal. nuncupatur) Aristotiles cordi comparauit, vt quid igitur pars illa, quæcunque sit, pulsatilis est virtutis expers? Quòd si altera ex parte Arist. in hac re suspectus habeatur (nam profectò radicatio iecoris potius, quàm cordis similitudinem, spetiemque pręsefere deprehenditur

Gale. 6. de Plac. c. 3.

henditur)cur igitur animantia præstantiora eam obtinuerunt?Cau
ſæ profectò plures ſunt,quarum vna colligitur ex his,quæ referun-
tur à Galeno , ea autem eſt vt animali facultati opituletur & ei pa- Gal. lib.de
bulum,& materiã copioſam ſuggerat , ex qua demum ſpiritus ani- vſu pulſ.ca
malis ad ſenſum,& motum idoneus, & ſufficiens proferatur; vnde pit.2.
dicebat Gal. naturam arteriarum textum vocatum mirabilem ex-
cogitaſſe , vt materiam eam, quæ in arterijs continetur (ea eſt ſan-
guis calidus, tenuis , & halituuſus) longo tempore conficeret, &
ſimul animali,qui in cerebro eſt ſpiritui,copioſum alimentum præ
pararet. Sanguis autem calidus, tenuis,& halituoſus in decenti co-
pia conficitur potiſſimum in virtute illius,quæ in corde,& arterijs
fit agitationis. Quod autem ſpiritibus animalibus reparandis con-
ferat cordis, & arteriarum pulſus idem Gal.experientia compro- Gal. li. cit.
bauit.dum enim carotidibus,quæ in collo habentur,dictis arterijs
vinculo exceptis animal currere coegiſſet , primo quidem per ali-
quod ſpatium probè cucurrit , paulo vero poſt languidius, & tan-
dem currere non potuit, ceu ſpiritu animali in motum voluntariũ
copioſè conſumpto:cum is quieſcente animali diutius perduraret.
Qua quidem cauſa tanquam vera ſuſcepta Fernelius aliam tradit, Fern.lib.5.
dum facultatem hanc altricis virtutis actiones integrare , & abſol- c.16.& 17.
uere commemorauit,quod,vt magis patefaceret, dicebat Animan- cir. finem.
tium genus cum ſtirpibus communem habet altricem , eamque in Cap.16.
iecore poſitam , ſed præſtantioris ordinis , & dignitatis , omnem
quippe nutriendi functionem animalia lege quadam , & ratione
perfectione complent : nam ſtirpi alimentum eſt ſuccus impurus,
& lutulentus,animanti,quod iam multiplici mutatione eſt præpa-
ratum.Hæc Fern. qui forſitan cum videret hoc eſſe ſatis dubium,
nã pleraq; animalia terreſtri alimento, lutoq; veſcuntur,ommitto,
quod vbi alimentum eſt magis rude,requiritur calor magis veges ;
ideo ex Galeni teſtimonio ſpleni vtpotè quod veſcitur ſanguine Gale. 4. de
craſſo,atque limoſo , innumeræ fuere arteriæ condonatæ, vt craſſi- uſu par. ca
ties alimenti pulſuum, & caloris beneficio extenuaretur . Et ideo pit.15.
præter obiectum altricis,addidit etiam functionem eius , & modũ
agendi eſſe diuerſum ita ſcribens . Facili promptaque coctione, & Fern.lib.5.
rudi quadam alimenti conuerſione ſtirpes aluntur : animantes au- c.16.
tem non niſi vtilis alimenti multifariam facta concoctione , qua
longa rerum ſeriè , in ſanguinem, ac demum in corporis ſubſtantiã
conuertitur. quare neceſſe eſt omnino vim quamdam , præſtantio-

rem

rem in animantibus nutritionem moliri, eamque aut generis cuiusdam esse præstantioris, aut acceptis aliunde viribus adiuuari. hac ratione perfectis animantibus cor tributum est, cuius calor, & facultas toti corpori, maximè verò iecori, & cerebro impartiretur, omniumque functiones, & munera compleret. Hac ratione assignata, & si non paruam probabilitatem includere videatur, ea tamen non contentus tandem adhuc magis probabilem assignare conatur inquiens. Cæterum hæc ipsa vitalis facultas non modo cæteras omnes cum rudes adhuc sunt, & inchoatæ perficit, sed etiam easdē quoad viuit animal tuetur, & ad agendum impellit. hoc autem cōprobat experientia, namque non solum in arteriarum interceptionibus, verum etiam in sincope tantisper dum vitale robur corporis partes non illustrat, reliquæ quoque facultates omnes pariter intermissionem faciunt, & tamquam attonitum repente corruit animal; mox autem vt vitale robur excitatum reuixerit, ac se ipsum collegerit, omnes illæ quasi recreatæ recurrunt. Verum hæ à Fern. rationes adductæ, & si satis probabiles sint, instantijs tamen non carent. Nam dicerent Aristotelis sectatores in animantibus ab altrice præstantiorem nutritionem edi, & hanc, quemadmodum & reliquas omnes eorum facultates ad agendum impelli in virtute vnius natiui caloris, qui in ipsis vberior, quam in stirpibus reperitur, nō aūt alicuius facultatis, quæ, à naturali sit diuersa. ad quid igitur entia frustra multiplicanda sunt? cum calor in plantis ab animantium calore, non natura, & essentia, sed remissionis, & intensionis modo tantummodo differat? Verum ne quis incautè decipiatur, existimans nos pulsatilis, Fernelium verò vitalis facultatis, & ipsius cordis necessitatem ostendere, quia vitalis, & pulsatilis sunt vnum, & idem, quemadmodū apertè declarat Gal. dum ait, At quoniam pulsuum vitalis vis, quæ à corde manat effectrix est, idē quoq; confirmat Fernelius dum vitalis præsentiam ex nullo alio demonstrat, nisi ex pulsatili existentia, sic inquiens. Perennis, & constans depræhenditur in nobis cordis, & arteriarum motio, cuius assiduitate perpetua est spirituum procreatio. hanc non animalis facultatis opera fieri arbitramur, vt cuius motus omnis est ad arbitrium. cordis & arteriarum motus non est in nostra potestate. neque præterea hic à naturali facultate regitur, vt quæ corporis nutritioni dumtaxat addicta est, & mancipata, nec tam apertos motus edere solet. & hæc est illa ratio, quæ ab omnibus ferè, veluti demonstratiua

[Margin: Cap. 16. cir. finem.]
[Margin: Gal. lib. de puls. vsu c. 6. in princ.]
[Margin: Fern. li. 5. c. 13.]
[Manuscript margin note: vitalis et pulsatilis idem]

tiua

tiua suscipitur. quare cum nihil inter se differant pulsatilis, & vitalis, & nulla alia nisi in nomine reperiatur diuersitas, de qua millies nos monuit Galenus non esse curandum; & his, quæ à Fernelio traduntur medici tantummodo, non Peripatetici subscribant; tradamus nos eam quam magis præcipuam adhuc, & veriorem censemus pulsatilis facultatis necessitatem. Profectò, si vera veris connectenda sunt, præcipua huius necessitas nulla alia potest esse (vt opinor) nisi virtus irascibilis, & hoc duplici de causa. nam primo cũ hæc vt ex Platone, Galeno, & omnibus Philosophantibus ostensum est feruido calore pro instrumento vtatur, & ob id in viscere calidissimo debuerit de necessitate locari, hinc necessaria fuit pro tanti caloris moderatione, & conseruatione in quantitate, & qualitate quemadmodum supra dictum fuit, cordis, & arteriarum agitatio, vt huius vi calor feruens euentetur, spiritubus in quibus calor consistit assiduo pabulum subministretur, & ex feruore comparatæ fuligines expellantur. Secundo quoniam huius ope calor vehementer circumfunditur, hoc autem declarauit Gal. hac verborum serie. Plato cor eius sanguinis fontem esse dixit, qui per omnia membra vehementer circumfunditur, qui enim è iecore proficiscitur non vehementer fertur, quippe cum neque spirituosus sit, neque quæ eum continent venæ quicquam pulsent, at qui è sinistro cordis vintriculo prouenit, & calidior, & spirituosus admodum est, & eius conceptacula pulsare conspiciuntur. Vt autem Platonis intentio clarior euadat, notandum est ab irascibili virtute cunctos animæ affectus prodire, hi autem sunt ira; mansuetudo; audacia; timor; spes, animi deiectio; gaudium; mestitia; & id genus alij, qui iam dictos consequuntur: Horum autem nonnulli materialiter fiunt per caloris, spiritus, & sanguinis expansionem, vt ira, gaudium, & consimiles: quidam per eorundem concentrationem, vt timor mœstitia, ex candescentia, & alij eiusdem naturæ; formaliter autem hi omnes nil aliud sunt, quàm appetitus quidam, & motus hi effectiuè consequuntur appetitum, siue prosequendi, quod delectat, vel fugiendi quod noxium est, quorum illum insequitur caloris, & sanguinis expansio, hunc vero motus oppositus nempè ad interiora retractio. nam horum motuum ope appetitus irascibilis veluti amplexatur delectabile, & aufugit tristabile. Sed motus hi non possunt fieri præcipuè expansio ad exteriora, nisi merito agitationis cordis, & arteriarum, & feruentis spirituosique sanguinis,

Gale. 6. de Plac. c. 8. in fine.

adhoc

adhoc vt facillime foras, introuè calor feratur. ideo iam liquet cur irascilibilis facultas, & viscere calidissimo, & prædito assidua agitatione indiguerit. In stirpibus autem solus sufficit transpiratus. nam & si in relatione ad humanũ temperamentum reperiantur stirpes non modo calidiores, verum etiam exurentes, hic tamen calor non energia, quemadmodum animantium calor, talis existit, sed solummodo potestate. deducitur autem de potẽtia ad actum solum post stirpis corruptionem, & non ab intrinseco, sed ab extrinseco animantium calore. Ex his colligimus Fernelium verborum leporis magis, quàm veritatis amicum, licet in multis non modo Auicenã verum etiam Galenum ipsum, (à quo suorum dictorum maximam partem, & omne ferè fundamentum accepit) adeò libenter redarguat, tamen hac in re sola multipliciter defecisse. Nam primo, non pulsatilis solummodo, quemadmodum fecimus nos, sed ipsius cordis frustra quæsiuit necessitatem his verbis. Cum vnus homo naturæ, sensus, mentisque viribus teneatur, sitque naturæ vis altrix in iecore, reliquæ in cerebro, quid est, quòd duorum istorum conspiratione, & mutuis officijs non satis gubernamur, & conseruamur? quid præterea cor nobis additum est. qua impellente necessitate conditum? quæ nam illius actio, quam iecur, & cerebrum non obeant? & tandem irascibilis, quæ ab omnibus primo loco cordi deputatur oblitus & illius facultatis, quæ cuilibet vitæ generi (siue ea animalis sit, siue vegetalis) accomodatos spiritus producit, ignarus, addit. hæc quidem esse, quæ nonnulli inexplicabilia esse dixerunt, & nondum comprehensa. Secundo facultatis vitalis munia, & necessitatem afferre conatur. at verò si eius existentiã ex pulsatilis præsentia demonstrauit, dicerent Aristotelici hanc à pulsatili, vt ex Galeno ostensum est, non differre. itaque pulsatilis, non autem vitalis debebat necessitatem indagare. cum nemo reperiatur, qui cordis, & arteriarum pulsum hucusque negauerit. vitalis vero à naturali distincta, ab omnibus non accipitur. Quod quidẽ intuitus Galenus neq; in libris de Placitis Hipocratis, & Platonis neque in libro de vsu partium, vbi ex professo de facultatibus siue principijs nostrum corpus gubernantibus, & de ipsorum munijs, functionibusque, pertractauit, de vitali facultate, siue animæ specie, seu differentia vllam vnquam mentionem fecit. De irascibili verò mille in locis, sicuti etiam pulsatilis meminit non solũ loco supracitato, & millies in libris de pulsibus, verum etiam 7. de

Fern. lib. 5. cap. 16. in prin.

Fernelius leporis magis quam veritatis amicus

Plac.

Calor innatus Vitalis

Plac. c. 3. imo vt omnem euitaret controuersiam calorem insitum, vel innatum nuncupauit; vitalem verò locis citatis nunquam ausus fuit nominare. Tandem lapsus fuit Fern. dum non solum stirpanimalibus, quæ Græcis Zoophita dicuntur, conchilibusque, uerum etiam cuilibet insectorum animalium generi ne dum cor, Sed etiam partem, seu sedē cordi vere proportionatam denegauit. Si enim Peripateticorum princeps stirpibus quæ vita viuunt infima sedem hanc tribuere non dubitauit, cur nos animalibus altiorem uitæ gradum supra stirpes habentibus (sensus enim, tactus, & gustus, qui ex Arist. tactus quidam est, & motum saltem obscurum obtinent) hanc eandem sedem non tribuamus? nam in his licet cerebrum, & epar non sint manifesta, cogimur tamen tùm sensus, & motus, tùm nutritionis principia, & horum principiorum sedem astruere. nam & si sanguine sint destituta, succum nihilominus, quo nutriantur de necessitate requirunt: is autem ruber non est, qm̄ cum omne simile in sibi simile transmutet, particula iecoris uicesgerens non est rubra. ad hæc si ex eodem Fern. cor, & uitalis facultas spiritibus animalibus pabulum subministrat, nutricationem perfectiorem, & nobiliorem edit, et animalem, naturalemque facultatem perficit, et ad agendum impellit, cum munia hęc in insectis magis perfectè, in cōchis verò si non perfectiori quodammodo, saltem minus apertè debeant obiri: cur ea corde, uel cordis uicaria parte priuamus? An desunt scriptores ualde celebres, qui apum operationes admiratione dignas intuentes, eas alicuius prudentiæ participes fassi sunt? qui igitur fieri potest, ut particula adeo præcipua, & principali sint orbatę? Quare uerius credendum est, quemadmodum alicuius respirationis expertia non sunt, ita cor in ipsis minimè desiderari. Quod eò amplius rationabiliter opinari licet, quo eadem irassibili facultate, pro uitæ tutela non fuere quoquo modo destituta. Nam crabrones, uespes, & apes aculeo, dum iritantur, tanquam armis utuntur, nullum autem animal timidum armauit natura dicebat Gal. Porrò minus irassibilia sunt conchę, & Zoophita, & reliqua huius classis animalia, quę stirpibus proximiora sunt, ideo crustis

Arist. 2. de anima c. proprio.

Gal. 6. de de Plac. c. 8

Gal. 1. de usu par. c. 2.

quibusdam tanquam armis solummodo defensorijs prædita sunt, & lacessita, quemadmodum lepores uelocissimè currunt, ita hæc ocyssimè cõtrahuntur. Vnde ex his licet conijcere, quòd conchilia sicuti respiratione omnino carent (nã dicebat Philosophus crustata, & mollia ab ambiẽte refrigerari) ita pulsatili uirtute destituũtur, & id multis de causis, nam primo minimè sunt irascibilia; secundo motu carent progressiuo, tertio quibusdam sensibus sunt orbata, & ideo minima copia spiritus animalis egent; quarto sunt mollia exanguia, & frigidioris temperamenti; quinto in elemento frigido degunt. Cõtra uero insecta aliquatenus irascibilia, spõtè sua huc illuc promiscue feruntur, plures hñt sensus; calidioris sunt temperamẽti in elemẽto calido, uel saltẽ minus frigido uitã agũt. quocirca nesse est et pulsatilem uim, & cor ipsis in esse. & hoc pacto admirabilis natura, quemadmodum assueuit, à plantis quę corde, & parte proportione ei respondente carebant, ad insecta, quæ cor habuere, per media stirpanimalia, quæ partem obtinent cordi proportionatam transitum fecit. Quod nobis eiusdem naturæ filius Aristoteles patefecit in libro de iuuẽtute. quo in loco licet etiam colligere cordis pulsationem, respirationem ipsam perpetuo comitari. nam calor in uiuentibus, quæ cor habẽt non modo pulsationis est auctor, uerum etiam necessitatẽ affert respirationis, ad sui met ipsius cõseruationẽm. Sicuti enim generatio est prima participatio cũ calido nutritiuæ animæ. uita autem mansio huius, quẽadmodum est apud Aristotelem; sic refrigeratio eiusdem caloris est uiuentis conseruatio, atque incolumitas; ut idem Philosophus docet, ac sæpius repetit in libro nuper citato. in quo ideo scribebat animalia minuta, & exanguia ab ambiente refrigerari, quorum uita breuior. Insecta uero, & exanguia (nam omnia, quæ sunt insecta, sunt item exanguia, ut ait, Aristoteles in eodem loco) quorum tamẽ sit uita diuturnior, sub septo transuerso dissectum quid habent, ut per subtiliorem membranam refrigerentur: ut apes, uespę, cicadæ, scarabei. Pisces (ut etiam nouit Gal.) branchiis hauriunt aquam, & refrigerantur. Crustata uero, & mollia à continente humido, ut idem tradit Philosophus frigiditatem exhauriunt

Arist. lib. de iuuẽt. et 12.

Arist. lib. de iuuent. c. 14.

Lib. cit. c. 11.

Gal. 7. de usu par. c. 5. in fin.

Arist. lib. cit. c. 12.

riunt animalia autem perfectiora, quæ corde, & pulmone prædita sunt, è pulmone ſpiritum refrigerantem trahunt. „ nam, ut dicebat idem inflatus pulmo motu refrigerat, „ & facit multo tempore permanere. Verum licet inſectorum cor ſenſuum munere explorari non poſſit (nam propter nimiam eorum paruitatem, ſi uelimus proportionem ſeruare particularum cor ueluti punctum quodam debet imaginari) non ob id eam, quam ratio exhibet, fidem cõ„ temnere debemus. Ideo dicebat Galen. culices, muſcas, uer„ mes, apes, formicas, neque diſſecui, neque diſſecare unquã „ aggrediar, nam cum in magnorũ aĩalium diſſectione mul„ tos falli, fruſtrarique uideam, non ne in minoribus debe„ mus id magis euenturum ſperare? Neque ullius eſt mo„ menti Fernelii obiectio dum inquit Conchæ, & oẽ inſecto„ rũ genus quorũ reſectas partes ſeorſum moueri cõſpſcim⁹. „ omnia quidem uitę ſuę calorem exiguum habent, eumque „ toto corpore æquabiliter conſertum, neque in iis ulla eſt ſe„ des cordi uere comparata, è qua hic calor quoquo uerſum „ influat, & illabatur. his enim ita poſitis abſciſſę partes ne„ que uiuere, neqne moueri poſſent. contra perfectiorum ani„ mantium partes, cum deſectæ continuò uita priuentur, ar„ gumentum eſt non ex ſe, ſed aliunde influentibus uiribus „ eas ſuſtineri, neque proprio ſolum calore, vt ſtirpes, uerum „ etiam aſcito gubernari, & ſupra uim iecoris naturalem, aliã „ ex corde uitalem aduenire. inſtantia inquam nulla eſt, quo„ niam in perfectis partes abſciſſæ ſtatim uita priuantur propter ſanguinis, ſpirituumque tenuitatem, fluiditatemque, quo fit ut calor uitalis, quàmprimum euaneſcat. in inſectis uero partes diuiſæ, & reſectæ per aliquod ſpacium uiuunt, quia calor per ipſarũ ſubſtantiã à corde diffuſus, propter ſubiecti craſſitiem, & uiſciditatem non ita facile diſſipabilis eſt: non tamen poſſunt in uita ſeruari, quia corde ipſo, tamquam peculiari uitæ principio ſunt deſtitutæ. Stirpium autem partes, quia in his neque cor, neque pars ei ad portionem reſpondens reperitur, ne dum per aliquod ſpatium ſeruari poſſunt, ſed etiam in propria, & peculiari uita permanere. Nam ſtirpes unica uiuunt anima per ipſas æquabiliter conſerta, neque in his (ſicuti in animantibus) ullus requiri-

Lib. cit. capit. 4.

Gal. 6. de Plac. c. 5.

Fern. lib. cit.

tur animalis,& naturalis animæ connexus,qui pendet à corde: quod nobis ostendunt non solum plantarum furculi. & flagella, quę in alienis stipitibus inseruntur, uerum etiam partes defixæ,& simpliciter terræ demandatę. Quod si non esset à pari cogeremur inferrè, quia dictorum animalium abscisæ partes mouentur,ergo motiuus spiritus ab aliquo motus principio non emanat, quod esset absurdum. Sed hæc de pulsatilis necessitate.

Vtrum pulsatilis naturalis sit nec ne, et utrum fiat per accidens ut uoluerunt Arist.et Theophastus, uel ab aliqua prodeat facultate,ut medici. C. III.

An anima aut a natura

Verum pro exacta huius uirtutis notitia, & ut omnia cordis intima (si fieri licet)perscrutemur, ad ultimã usque radicem, quæ inter cæteras est magis recondita, descendamus,& quæramus an motus hic pulsatiuus naturalis sit, ut cẽsent Aristotelici,an potius ut Auicennas, & alii medici opinantur prodeat ab animæ spetie à naturali diuersa, quam ipsi uitalem appellant, ut ex hoc appareat quidnam sit uis pulsatilis in sui radice, & à qua nã animę specie proficiscatur. Vndique profectò sunt angustiæ, quocirca ut difficultas latius enodaretur, multis esset agendum: attamen nos breuitati omnino studentes dissertationem hanc paucis quo fieri poterit, & his solummodo,quæ firmiora uidebuntur esse perstringemus. Aristotelis sectatores motum hunc pulsatilem,& uim ipsius productricem naturalem esse hoc fundamento(quod firmissimum autumant) ostendere conantur. Cordis motus(inquiunt)fit à calore insito, & naturali,ergo uis pulsatilis est calor insitus,naturalisque. Hęc igitur facultas,& motus ab ea productus naturalis est. Assumptum probant non solum ex Philosophi, uerum etiam ex Galeni & Hip. Sentẽtia. Porro si de Philosopho sermo fiat, si quis perlegerit ea,quæ ipse de pulsu scripsit, & quæ de eodem cordis, & arteriarum pulsu memoriæ mandauit auctor Gręcus libri de spiritu(qui & si inter Aristotelis uolumina coniectus sit, Theophasti tamen creditur à nonnullis)prorsus intelliget cordis motionem, haud propria quapiam animæ facultate, unde proficiscatur, egere.

a calore insito pulsatio. naturalis.

Arist. libr. de iuuent. & sen. lib. de mor. & uita, & de respiratione.c. ult.

[illegible] Animę facultate non egere

Nam

Nam uterque Philosophus in necessitatē alimenti in cor illabētis, atque in caloris, qui in corde maxmus est, actionem necessariam, pulsationem ipsam referunt. Verbis huiusce modi loquitur Arist. est autem similis bullitioni hæc passio: Bullitio enim fit cum inflatur humidum à calido, eleuatur enim, propterea quòd amplior fit moles, & paulo post. In corde autem semper accedentis humidi ex alimento per caliditatem tumefactio facit pulsum eleuantis ultimam tunicam cordis, & hoc semper fit continuè: affluit enim semper humidum: ex quo fit sanguinis natura. primo enim in corde fit palam autem generatione a principio nondum enim distinctis uenis uidetur habere sanguinem, & propter hoc pulsat magis iunioribus, quàm senioribus; fit enim exhalatio amplius iunioribus, & pulsant uenæ omnes & simul inuicem, propterea quod pendent omnes à corde. mouet autem semper, quare & illæ semper, & simul inuicem quando mouet. Resilitio igitur est facta obuiatio ad frigidi compulsionem. Pulsatio autem humidi calefacti inflatio. Hæc ille. in cuius uerbis animaduertendum illud idem, quod in uerbis Hip. atque Platonis animaduertere iubet Gal. dum inquit ab antiquis nomen uenarum pro arterijs usurpatum fuisse. ipsi enim communi uocabulo uenam, & arteriam, & si longo dispar utriusque natura sit, significabant. Libri uero de spiritu auctor hæc de pulsu scriptis tradidit. Pulsus autem peculiaris quispiam præter hos motus est, & quadantenus accidentarius esse, nec finē habere uidetur, ob quem fuerit institutus, & ut calore uehemente in humidum agente necesse est, quæ in flatum resoluuntur partes, obuersationem bullas excitare, ita pulsum quoque fieri in animalis corpore par est. statimque per initia primum consistit pulsus. nam iis, quæ prima sunt coæuus est calor, & fortasse actionem caloris in materiam, quæ generationi animalis substernitur, id ipsum consequi est necesse, & infra. Pulsus per initia statim in constitutione cordis emergit. id quod in sectione uiuorum, & pulli formatione ex ouo depræhendere liceat. Sed & ut supra quoque dictum est in prima partium delineatione, quæ per actionem calidi in humidum fit, feruorem hunc, & pulsus

Galen. 6. de Plac. c. 9. in prin.

Auctor libri de spi.

ſus agitationem cieri par fuerit. Quare primus hic erit motus. ac paulo poſt. quid igitur in animæ potentiam huiuſce motionis cauſam referunt. ex quibus uerbis ſatis conſtare arbitror Fernelium Ariſtotelis mentem minime fuiſſe aſſequutum, dum dicebat ſentire quidem recte uidetur Ariſt. motionem illam ex materie, & refrigerationis neceſſitate quadam fieri. cæterum iſthæc neceſſitas incitans dumtaxat, & impellens, non autem efficiens cauſa recte poteſt exiſtimari. Ideo ſupra calorem aliam ſuperiorem, & præſtantiorem cauſam ſcrutari neceſſe eſt. Nam Philoſophus non de calore tanquam cauſa finali, ſed effectiua, ut uerba ipſius relata clariſſime ſonant, loquutus fuit. Pro materiali autem cauſa, alimenti humiditatem, in quam agit calor, aſſignauit. Præterea idem aſſumptum, ut dictum eſt poſſunt probare ex Gal. & Hip. decreto. Namque Gal. profert hæc formalia uerba. Non ex attritu ſpirituum qui ſunt in arterijs, calor in animalium corporibus gignitur, ſicuti in lapidibus, & lignis fieri uidemns: Sed è contrario ab inſito calore arteriarum motus cauſantur. Idem ubique confirmat. Diuinus Hip. qui ita referente Galeno, ſemper aſſeruit innatum calorem omnium animalium operationum auctorem eſſe. Altera ex parte Auic. pulſuum uim effectricem à Vegetali diſiunxit, & ipſam uitalem ſubiude nominauit, hac ratione. In aliquo membro Altricis uirtutis actio aufertur, & tamen membrum adhuc uiuit, ergo &c. Quam rationem comprobans Fern. eam his uerbis adhuc magis ſtabilire nititur. Interdum pars liquefacta in totum extabeſcit, ſolumque uitalem facultatem retinet, quæ illius integritatem tuetur, obſiſtitque, ne putredine conſumpta diſſipetur. quicquid igitur nutritione ſublata, integrum præterea manet, neque putreſcit, id ſane uiuit, uitalique proinde facultate ſuſtinetur. unde concludit hanc (quemadmodum antiquitus dictum fuit) datam eſſe corpori pro ſale, ne putreſcat. Verum rationem hanc facile labefactant Peripatetici, negantes aſſumptum. Abſurdum eſt enim inquiunt, animantia uiuere, & tamen non nutriri, quia ex Ariſtotele animantia tamdiu uiuunt, quamdiu alimento uti poſſunt. & rurſus, eouſque animans ſeruatur. & uiuit, quouſque nutritur.

Marginal notes: Fern. libr. 5. c. 13. — Gale. 8. de plac. c. 7. in prin. — Galen. lib. citato. — Auic. Prima. Fen. 1. c. de uirt. uitali. — Fern. libr. 5. c. 13. — Ariſt. 2. de anima cõtex. 13. 2. eiuſdẽ cont. 47.

tur.& alibi dicebat animalia non semper augentur,at semper aluntur quousque uitam degunt.Instantia uero de atrophia nulla est, quia in ipsa non penitus aufertur nutritio, sed diminute, & imperfecto quodã modo celebrarur.nã ex alimẽto aliquo pacto humida substantia,& calor innatus resarciuntur. Quod autẽ impossibile sit in animali iam producto partẽ uiuere, & penitus non nutriri,idem probatur, quia si nulla editur nutritio id profecto euenit pp defectũ uel agentis uel obiecti,seu materiæ ex qua fit nutritio. Si deficit agens cum hic calor sit innatus, igitur deficit etiam uita, quam in eo residere meminimus;quod si demus calorem non deficere, cum hic sit agens naturale, approximatum passo semper aget in quãtum poterit,dummodo obiectum non deficiat.Propterea uis altrix ad differentiam animalis semper est in actu secundo dicebat Philosophus, cuius rei causam reddit Auer. quoniam (ait ipse) uis altrix agendo seipsam reficit: animalis uero seipsam absumit. si uero deficit materia ex qua fit nutritio,hæc sanguis est,quo deficiente, cum ex eo spiritus, & calor generentur, ex consequenti neque uitalis facultas consistere poterit; quæ ab ipsis spiritibus, & calore conseruatur. Itaque vegetalis uis innato perdurante calore nunquam ociatur. Accedamus igitur ad veriorem probationem,& ipsam;quia magni momenti est,accuratissimè perpendamus. Cordis, & arteriarum agitatio non potest regi, aut vllo pacto prodire à naturali facultate, vt quæ corporis nutritioni dumtaxat incumbit,nec tàm apertos, euidentesque motus solet expromere, quod nobis manifestant stirpes, in quibns nulla penitus pulsatio depræhenditur. Moderniores quidam acerrimi ingenij instantiam subterfugere putarunt dicẽdo motus hos naturales esse, quia dyastole nil aliud est, quàm attractio,systole uerò nil aliud,quàm expulsio,ergo cum motus hi ab attractrice,& expultrice proficiscantur, quæ sunt altricis famulæ,& ministræ,debent naturales existimari,nõ autem uitales, ut ait Auicenna ne entia inaniter multiplicentur. Addunt autem hos tàm magnos,& apertos fieri in animantibus minimè vero in stirpibus, quia calor innatus animantium feruidior,& copiosior existit. quod etiam potest

Arist. primo de ortu contex. 41.

Arist. 2. de anima cit. Auer. in com.

test pro eis confirmari, si perpendantur multarum partium naturales motus in animalibus. Nam magno motu fit attractio seminis ab utero, dum ad illud amplexandum auidè præcurrit, magnę quoque, & apertissimę expulsiones deprehenduntur in parturitione, in uomitibus, & crisibus dum id, quod magnopere contristat expellitur. Subterfugium tamen nullum est. nam membra naturalia attractione utuntur solummodo ut sibi ipsis nutrimentum alliciant, & post attractionem non statim expellunt, sed longo tempore ad exactam usque coctionem retinent: & tandem post appositionem, & ut quibusdam placet post agglutinationem, & assimilationem, quod inutile est expellunt. Idem de virtute generatrice dicendum. Vterus post seminis attractionem, illud adeo vndequaque amplexatur: ut ne styli quidem mucronem admitteret, & non nisi absoluto fœtu, qui spatio nouem mensium perficitur, ad ipsius expulsionem se comparat. simili modo facta expulsione particulæ non statim attrahunt; quemadmodum in cordis motu fieri conspicimus. præterea cordis dyastole, systoleque ab attractrice, & expulrrice naturali ualde differunt, quoniam illæ perpetuæ sunt, istæ interpollatæ. illæ frequentissimæ, istę si ijs conferantur omnino raræ? illæ confertim, & uelociter fiunt: istæ paulatim, sensimque: nam ventriculus dum attrahit sensim dilatatur, dum expellit paulatim constringitur; ut subinde motus naturales obscurissimi sint, cordis uero ualde manifesti. Itaque impossibile est hos motus inter naturales, & ab altricis famulis prodeuntes, connumerare. Sed si attractionis, & expulsionis nomen merentur, alterius generis ab his, quæ altricem consequuntur censendi sunt. & proinde ratio proposita robur, & uim non ammittit. Cui quidem alia non minus efficax hunc in modum potest subnecti. Si motus cordis ab altrice prodiret facultate, ergo facultas motrix esset generatrix, uel auctrix uel nutrix. Sed non potest esse genetrix, quia hæc respicit non indiuidui, ut facit cordis motus, sed speciei conseruationem, & uiget solummodo in ętate ad procreationem idonea. motus autem cordis non solum usque ad vltimum perdurat senium, uerum etiam usque ad mortem comitatur, & propterea

Gal. 15. de usu par. & 2. de sym. caus. c. 3.

Galen. 1. de facul. natural.

Gal. 2. de symp. cau. cap. 3.

Motus naturales obscurissimi. Cordis manifestissimi.

Altrix a motu cordis [illegible]

preterea in pueris ad sobolem procreandam minimè aptis maximè uiget. neque potest esse auctrix. quia hæc post ætatem consistentem penitus aboletur: pulsatione nihilominus perdurante. neque etiam licet asserere motum hunc ad nutricem uirtutem esse reducendum. quia nutrix chili, sanguinisque productioni, appositioni, agglutinationi, & assimilationi dumtaxat incumbit. Cordis vero, & arteriarum micatio nullum horum efficit. non enim alimentum conficit, neque apponit, & multo minus agglutinat, uel assimilat, sed caloris conseruationem, & distributionem solummodo respicit. Insuper motus localis constituit uitę gradum ipsa vegetatione eminentiorem; sed cordis motus est motus localis, ut interdum adeo moueatur, ut secundum se totum proprium locum immutet, ut in ualde prauis ipsius tremoribus, seu palpitationibus obseruamus: uel saltem si non est perfectus, vt sunt motus progressiui, est quodammodo medius inter motus naturales, & motus perfectos ab animali facultate exquisita prodeuntes, ut inferius apparebit. ergo motus hic est nobilior animę functio, quàm sit nutritio. hinc spongiæ marinæ, quia supra stirpes proximè locantur, motum tantummodo dilatationis, & constrictionis fuerunt adeptæ. Cum igitur ex operibus animalium, ut nos docet Arist. deueniamus in cognitionem facultatum ipsius animę, necesse est ut nobilior actio nobiliorem uirtutem consequatur. Si igitur functio hæc motiua naturalis est, & ad altricem animæ facultatem ordinatur, sequeretur finem ipsum ignobiliorem esse his, quæ diriguntur ad finem, quod absonum est. Tandem pro hæc parte adest argumentum adeo demonstratiuum, ut aduersarij, si velint in propriis permanere fundamentis, ei non possint ullo pacto contradicere. Illud autem huiuscemodi est. in prima animalis formatione ex Arist. mēte pars, quæ primo effingitur, & primo viuit, cor est. ne dum enim rationabile, uerum etiam necessarium est, ut dum partes seminis incipiunt, uerbi gratia fieri partes hominis, ut ea pars seminis, quæ calidior est añ cæteras uita fruatur. Cũ uitæ productiuum instrumentum, nempe calor ipse, in ea magis uigeat: at ex parte seminis calidiori, non nisi cor procreari potest, utpotè quod cæteris partibus caliditate præstet;

Arist. 2. de anima in princ.

Arist. 1. de gener. animalium c. 16.

quo fit, ut ab ipso postmodum tanquam à fonte præcipuo cæteris partibus calor, uitaque communicetur, & ex hoc obiter colligatur eos hallucinatos fuisse, qui iecur primo loco generari opinati sunt. & si dato, non tamen concesso, quòd sit primo genitum, non tamen apud omnes statuatur primo perfectum, & primo uiuens, uita sibi à fœtu cōicata. colligimus insuper Gal. non posse tueri, dum asserens calorem animam esse, & huius caloris fontem, atque principium esse cor, animæ deinde sedem, & principatum, in corde locare recusauit. Sed ad rem. Si cor primo eformatur, & uiuit. uiuens antequàm nutriatur necesse est, ut attrahat alimentum, & cōcoquat, ad hoc ut in uiuentis substantiam transmutetur: sed attractio, & concoctio egent tempore; ergo cor fuit uiuens toto eo tēpore, quo prima attractio, & cōcoctio alimenti perdurauit. at eo tempore non fuit nutritum, quia nutritio alimenti attractionem, & concoctionem consequitur, ergo fatendum cor tempus aliquod sine nutritione uixisse. mō, qua uita uixit? hoc declarat Aris. auctoritate supra citata, dum inquit, loquens de cordis pulsatione. Primo enim in corde fit, palam autem in generatione à principio, nondum enim distinctis venis videtur habere sanguinem. Idem declarat auctor libri de spiritu ita scribens. Statimquè per initia primum consistit pulsus. nam ijs, quæ prima sunt coæuus est calor, & quæ sequuntur, & infra pulsus per initia statim in constitutione cordis emegit, id quod in sectione uiuorum, & pulli formatione ex ouo deprehendere licet &c. & concludit, quare primus hic erit motus. Si igitur ex ipsis pulsus primo fuit, ergo cor primo pulsatili facultate uixit. ergo hæc à nutrice erit separata, & distincta. Verum quoniam, ut ex eorum scriptis apparet, expresse negant pulsum aliqua fieri animæ potentia, sed ipsum accidentalem esse, & ex naturę, nō autem ob finem aliquem suboriri decernunt. Iccirco tempus est, ut rationi Peripateticorum iam occurramus. & primo loco Aristotelis & Theophrasti sententiam diluemus, quia hi, etsi motum naturalem esse fateantur, attamen negāt ipsum à naturali facultate cieri, ut deinde Hippocratis & Galeni auctoritati satisfaciamus, ui cuius pulsum, & naturalem esse motum ostendere conantur, & ab aliqua naturali

Gal. lib. toties citatis

potestate,

potestate, & ad aliquem finem procreari. Porrò Aristot. & Theophrasti decretum non modo rationi, verum etiam experientiæ maximè repugnat. Nam cor artificiosissimam, & penè admirabilem conformationē præseferre omnes anathomes periti fatentur, non igitur potest esse accidentalis, sed vt luce clarius constat ad cordis motum dilectatiuum, & constrictiuum dirigitur, hinc cordis sinus, hinc ostiola, quorum quædam foris intro, quædam opposito modo aperiuntur. ergo cordis motus à facultate quadam fines iam propositos respiciente fieri debet, nam posito fine ponitur actio, & facultas actionis ad finem directa, sicuti è conuerso omne agens propter finem agit. Quocirca si cordis motus tamquam finis tollatur, tollitur de necessitate aeris, & sanguinis attractio, hac vero sublata, quomodo fiet spirituum generatio? qui si non generentur, quomodo calor innatus conseruabitur? qui nisi conseruetur, quomodo uita perdurabit? Amplius, cordis motus, arterijs quoque communicatur, ergo ijsdem facultas quædam mouens debet à corde communicari. non enim ullo pacto possumus persuaderi illas ab humiditate in cor illabente; & deinde ebulliente ratione caloris in ipsam agentis, agitari: nam si hoc esset etiam venæ propriæ dictæ mouerentur, cum ex eorum sententia à corde originē ducant. dicebat enim Philosophus, & quia uenæ om- Arist. auc. supra cit.
,, nes ab eo dependent, quia cor semper mouet, ergo & illæ
,, semper, neque ullius esset momenti obiectio, si quis diceret propriè dictas uenas propter sui mollitiem ratione, cuius tollitur ab illis ea cum corde continuitas, quam arteriæ præ sui crassitiæ, & densitate, nactæ sunt, non moueri. nā arterialis uena, quæ à dextro exoriens cordis sinu, sanguinem tenuem, & calidiorem pulmonibus nutriendis transmittit, tunica non minus crassa, & densa prædita fuit. Sed ad experiētiam accedamus, & ad eam præsertim, quam in morbis dignoscēdis sæpissimè obseruamus. in quibus forsam & Arist. & eius discipulus Theophrastus fuerunt parum exercitati. In eximia lætitia, quæ sui natura calorem expandit, atque dissipat, cordis pulsatio frequens, & deprauata. nonnunquā suboritur, eodem modo in superfluis non solum cæterorum humorum, verum etiam ipsiusmet sanguinis euacuationib.

cordis motus, non minus intenditur, & deprauatur: cum tamen ratione iam dictorum calore, & sanguine comminuto ebullitio, & subinde cordis agitatio potius sedari, & imminui deberet. Ad hæc si præter humidi ebullitionem à calore factam, nulla alia statuitur pulsationis cã effectiua, cur in prauo cordis motu à uapore melãcholico (ut in sermone de causis ipsius inferius apparebit) motus fit adeo frequens, & cõcitatus? non ne in aduentu frigidi uaporis potius remitti, & imminui deberet? Sed quid? non ne in praua cordis pulsatione omnia tegumenta sensibiliter eleuari conspiciuntur? non ne aliquando costæ è suo loco dimouentur, ut mihi bis videre contigit? non ne alij easdem fractas obseruarunt? quomodo horum causam peruestigabimus, nisi ad facultatem mouentem supra modo irritatam recurramus? impossibile enim est, imo imperceptibile à bullis, & humiditate sanguinea eleuatis tam impetuosam motionem cieri. Præterea cur ratione vehementis doloris motus similiter intenditur? Qua de causa ratione epoti, uel inflicti ueneni adeo mira in motu cordis suboritur varietas? id profectò nõ ob aliud, nisi quia cordis proprietas ualde conflictata omnigenam æqualitatẽ amittit, & omnem ordinem peruertere conatur. Vnde insuper in ægrotantibus, & bene valentibus innumerabiles ferè pulsuum deprædenduntur differentiæ? vnde pulsus vndosi, vermiculantes, formicantes, intermittentes, decurtati, atque reciproci? non ne intermittentes in ægris, & sanis obseruamus nulla facta in calore siue extraneo, siue naturali, neq; in qualitate, neque in quantitate mutatione? Cur potissimũ ante crisim per sudorem pulsus prælati deprehenduntur? Cur à somno dum primum expergiscimur, euestigio pulsus magni, vehementes, celeres, crebri, & cum quadam uibratione fiunt? Quid plura? non ne ex hac falsissima Arist. sententia pro uera suscepta omnis ferè de pulsibus certissima, & validis rationibus fulcita disciplina à Gal. tradita, omninò corrueret? An forsitan Aristoteles pulsum accidentalẽ enunciauit, quia Diuinum vidit Hipocratem, cui non minor fuit in philosophia, quàm in medicina laus, nullum de pulsibus Theorema suis scriptis tradidisse? Sed hoc mirum esse non debet, cum non artis perfectionem, sed ut ipsemet Hipocrates, &

Gal. lib. de puls. ad Tirones. c. 9. in fine.

tes, & Galenus testantur medicinæ semina, & fundamenta solummodo iecerit. hæc ad Arist. dicta sint. Sed quoniam assumptum etiam ex medicorum auctoritate probatur: iccirco quid ad Galeni, & multo magis ad Hippocratis auctoritatem respondebimus? quam unicam Fernelius semper extollit? Breuiter igitur statuamus pulsum à calore insito effectiuè quidem fieri, & non solum finaliter, & impulsiue, ut distinguebat Fernelius; non tamen tanquam ab agente præcipuo, sed potius ueluti ab instrumento, & ministro uirtutis pulsatilis. ideo uiri hi supremi in hoc rectè dixere, quia instrumenta ad causam effectiuam reducũtur. Porrò calorem innatum non esse, agens præcipuum, neque animam ipsam (ut falso putauit Gal.) sed animæ instrumentum his verbis determinauit Philosophus. Non enim ca„lor operationum uiuentium simpliciter causa est, sed anima; „calor autem animæ instrumentum. & rursus ad exequenda „animæ officia calor maxime omnium administrãdi uim ha„bet. arbitrari autem animam calorem esse perinde est ac si „serrã, aut malleũ fabrorum, uel artem fabrilem esse dixeris. „id autem demõstrat, dum ait. si calor esset præcipua causa in„crementi, uiuentia augerentur in infinitum: Ergo calor non „est forma viuentium. & rursus actio quæ fit secundum con„traria loca à calore nõ ꝓficiscitur, nec ab aliqua uirtute ele„mentari. cui sententiæ adstipulatur Gal. dum habet calidũ „in animale sursum mouetur ratione caloris, qui ad hanc loci „differentiam tantummodo determinatur, deorsum uero, „quia particeps est frigiditatis, quæ deorsum mouet. At vero ne quis hac in re anxius sit, quemadmodum quidam inaniter dubitauere, quomodo scilicet idem calor innatus duplex possit esse causa motionis instrumẽtaria uidelicet & finalis, & multo minus huic ambiguitati satisfaciat, ueluti quidam satisfacere conantur asserendo calorem innatum efficientis, & instrumenti, influentem uerò finalis causę uim habere. nã & si duplicis caloris distinctio uera sit, ut docuit Arist. & præter Aristotelem etiam Gal. qui statuit calorem influentem è corde manantem calorem innatum fouere, & augere, vt opera uitæ probe ualeat exercere: attamen non minus innatus calor, ea, quæ fit in uirtute pulsuum, moderatione eget,

Arist. 2. de anima cõtex. 41.

Arist. 2. de par. anim. c. 7.

Arist. 2. de anima cõtex. 41.

2. de anima. 14.

Galen. lib. de uigore.

Arist. lib. de iuuent. de sen. c. 3.

Gal. lib. de format. ortus in utero.

Pulsũ a calore insito effectiue fieri tanquã ab instrumento et ministro uirtutis pulsatilis.

finaliter et impulsiue sed ab agente precipuo

Actio se[...]ndũ con[tr]aria loca

Inanis dubitatio

eget, quã influens calor indigeat. Sed rectius dicendum est, quòd calor non inquantum calor simpliciter est causa finalis pulsationis immediate, sed in quantum expostulat cõseruari: finis autem immediatus est attractio frigidi, & sanguinis, ex quo spiritus, in quibus calor fundatur, nutriantur: & eorundẽ distributio, & excrementorũ expulsio. Ex his colligimus Fern. vnica in re multipliciter defecisse. dum. n. cordis motionem à calore effectiuè fieri negauit usus fuit hoc argumento. Calor insitus, & naturalis per se qualitas simplex est, ergo non potest esse causa efficiens tantæ motionis. in quo, primo accipit assũmptum proprio decreto contrarium. quia dixerat proximo superiori libro, in quo agit de spiritibus, & innato calido, calorem hunc esse cęlestem, nõ elementarem, & propterea substantiam, non accidens. Secundo falsa est cõsequentia, quia calor, quamuis simplex qualitas statuatur, at tamen cum per se possit esse animæ instrumentum, subinde ad principium effectiuum reduci potest. Tertio quod assumit Fern. præcipuorum medicorum institutis omnino aduersatur, cum ipsi innatum calorem nõ in abstracto, sed prout est subiecto proprio, & peculiari concretus semper accipiant. Vnde ex Gal. sententia calor insitus non est simplex qualitas, & accidens, sed substantia. dicebat enim pro Hip. aduersus Platonem. Melius tamen erat non ignis, sed insiti „ caloris fontem dicere in corporibus nostris esse, ut Hip. ubi „ que appellauit. nam si ab igne ciborum concoctio, digestio „ sangueficatio, & nutritio fieret melius, & citius in febrienti „ bus hæc conspicerentur absolui. sed insitus calor tempera- „ tus, cum sit, substantia quidem in sanguine, & spiritibus con „ sistit, qualitate uero est congrue ex caliditate, & frigiditate „ temperatus. Et alibi statuit pueros habere maiorem quantitatem calidi innati, quàm iuuenes, quia habent plus substantiæ calidæ, & alibi uoluit calidum innatum nil aliud esse, nisi substantiã ex sanguine, & semine derelictã, & calore effectã.

Galen. lib. 9 licum.

Rationes probantes pulsatilem non esse uitalem ab alijs facultatibus distinctam neque animalem. C. IIII.

HVcusque ostensum est facultatem pulsatilem naturalem non esse. Quare remanet quærendum an uitalis

sit, re,

ſit,re, & eſſentia,ab animali,& naturali diſtincta, ut Auic.& Alij artis medicæ cultores exiſtimarunt. Verum, ut cenſeo, quæſtio hæc poteſt pauciſſimis omnino enucleari, dicendo facultatem uitalem à reliquis animæ potentijs ſeparatam minime reperiri. Hoc autem ni fallor hoc pacto demonſtrari poteſt. Si anima uiuēdi principium eſt, ergo uis uitalis cum ſit animæ facultas uiuendi principium erit. Sed uiuendi differentiæ ſunt quatuor ex Ariſtotele nempe nutriri, ſentire, intelligere, & moueri. ergo uirtus uitalis alicuius iſtorum uitæ graduum ſeu differentiarum neceſſario principium erit. generis, neceſſe eſt, ut ſit principium alicuius ſpeciei, quæ ſub illo genere cōtinetur. Si igitur ſit principiū nutritionis, uegetalis erit. Si ſenſtionis, ſentiēs, ſi ītellectionis, intelligēs; ſi motus ſecundum locum, erit ſimiliter uel ſentiens, uel intelligens, nam facultas motiua à ſenſitiua, uel intellectiua nō diſtinguitur, quia neceſſario præſupponit appetitum, & cognitionem obiecti propter quod motus ſit. ergo non poteſt reperiri uirtus uitalis à reliquis animæ ſpeciebus re, & eſſentia diſtincta, Et propterea Gal. cordis, & arteriarum motionem ad naturalem facultatem pertinere teſtatus fuit. Quod autem pulſatilis facultas animalis non ſit, poteſt ſimiliter & ratione, & auctoritate breuiſſime probari ratione; quia motus hic pulſatiuus non pendet ex voluntatis arbitrio, & Gal. dicebat cor nullam actionem animalem habere. quid igitur in tam ardua difficultate enunciabimus? nemo ſanè eſt, qui rem omnino in arcto poſitam non agnoſcat. quo fit, ut mirari ne vtiquam debeat, qui nos parum, aut nihil boni, ac in re, proferentes viderit. fatemur tamen in tanta obſcuritate, cum cæteris œcutiſſe nos malle uideri quàm aliquod, ſaltem exile lumen intentatum relinquere, & poſtea quam in Ariſtotelis. Sententia veritas non elucet, experiamur an ex præcepto re Platone claritas aliqua poſſit depromi. Profectò ſi debent corriſpondere vltima primis, cum uis pulſatilis ſit in corde, & ab ipſo pro totius corporis conſeruatione, cunctis arterijs ſubminiſtretur, ut tot in locis teſtatum reliquit Gal. neceſſarium eſt ipſam quoque non ab anima uegetali, quæ ex eodem Galeno (& in hoc non poſſum ipſum non mirari) in iecore reſidet, ſed iraſcibili facultate, quæ ex omnium conſenſu

Ariſt. 2. de anima cō-tex. 13.

Ariſt. 3. de anima cō-tex. 48.

Gal. lib. de differētijs ſympt. c. 4. in prin.

Gale. 6. de uſu par. c. 18.

Gale. 6. de Pla. paſſim

Vitalem minime separatam ab aliis reperiri.

Anima uiuendi principium.

Animae differentiae quatuor

Genus speciei principium.

Vitalis à reliquis haud distincta re aut essentia

Animalis

Irascibilis facultas in corde promanare

sensu in corde domicilium habet promanare. Quod fit ut stirpanimalia, quia irascibili facultate caruere, pulsatili quoque functione fuerint destituta, imo si iracundia accipiatur materialiter prout scilicet est caloris, qui in corde residet, feruor quidam non esset ab re existimare irascibilem hoc modo acceptam, & vim pulsatilem, nec non etiam spirituum procreatricem inter se non esse realiter distinctas, sed tantũmodo operatione differre, vt quemadmodum anima vegetalis unica est, & prout habet diuersas operationes, diuersis quoque nominibus appellatur, videlicet, altrix, auctrix, & generatrix. idem etiam de irascibili, pulsatili, & spiritus genitrice facultate statuendum sit. Cui sententiæ fauent manifestissimè ea, quę scribuntur à Galeno tùm alibi, tùm potissimum, dum ita inquit. Arteriæ sinistri cubiti agitatio cum in ortu infantis uelox, magna, & valida reperitur, validam in corde irascibilem vim esse significat, ac præditam uegeto, ac feruido calore. non enim meminit frequentiæ, quæ potius imbecillitatis solet esse comes, sed uelocitatis, & magnitudinis, quæ non nisi validam facultatem consequuntur. neque dixit hæc significare ualidam facultatem uitalem, vel naturalem, sed irascibilem, ut innueret pulsatilem perpetuò solam irascibilem facultatem comitari. & paulo post ex Hippocratis auctoritate subdit. Cui vena quæ est in cubito pulsauerit, furiosus ille, & iracũdus euadit, cui sensim mota fuerit, lentus. vbi notat Galenus, quod per pulsare oportet audire, uehementer agitari. Hinc audaces, & iracundi pulsum validum, magnum, & velocem, timidi vero, lentique debilem, paruum, & tardum perpetuò expromere consueuerũt, & id non iniuria, quia timidi cor frigidum, audaces, & iracundi calidum habent. cum autem in iracundia caloris expansio desideretur, in timore autem concentratio; & in virtute caloris ne dum expansio facilior euadat, verum & validior fiat cordis motus, ideo corde calidiores ad iram promptiores sunt: contra frigidi corde timidi sunt, quia in his propter oppositas causas spiritus, & calor facilius manet circa cor, & difficilius diffunditur, & eo magis, quo sicuti apparebit in sermone de sincopi, concentratio expansione facilior existit. Hinc frequentissime experientia percipimus in

minime differre

Diuus August. li. de spir. & anima.

Gale. 6. de Plac. c. 9. in princ.

Gal. lib. de cau. pul. passiu.

Hippo. 2. uul. morb. & Gal. 6. de plac. 9.

in Iracundia caloris expansio in timore concentratio.

febre

febre pestilenti, quæ cordis vires potissimum obsidet, & demolitur, pulsum frequentissimum quidem, sed obscurum, & imbecillem admodum edi, quia vis etiam irascibilis ualde oppugnatur: cuius signum est, quòd hi omnes timidi omnino, & valde abiecti sunt animo. Ex his lumen certè perexiguum. ceu Lucifer quoddam, exortũ esse videtur, nõ tamen mane adhuc illucescit. quoniam si pulsatilis ad irascibilem reducitur, Plato ex vna parte una cum Galeno ponit irascibilem non modo sede, verum etiam re, & essentia ab animali facultate distinctam. Ideo dicebat Galenus libro supra citato. 6. de vsu part. c. 18. cor nullam animalem facultatem habere. Ex altera vero Arist. ipsam redigit ad animalem, nempè ad animalem appetitum sic inquiens. Si autẽ sensitiuum, & appetitiuum. Appetitus quidam enim desiderium, & ira, & voluntas sunt. Quod si altera ex parte pulsatilem velimus ad spiritus genitricem reducere, hæc non nisi naturalis facultas existit, nam spiritus gignit, quia aerem, & sanguinem alterat, & concoquit, & in spirituum substantiam transmutat, quæ quidem munia sunt omnia naturalia, quemadmodum etiam sanguinis genitrix naturalis est. Superius autem, ni fallor, demonstratum fuit tres tantummodo animæ facultates realiter distinctas reperiri. Quare minime constat ad quam animæ facultatem pulsatilis, & irascibilis reducantur.

Irascibili ab Animali facultate distincta.

Gale. 6. de usu par. c. 18.

Arist. 2. de anima cõtex. 27.

pulsatilis facultas spiritus generat

Omnes cordis facultates, & functiones tum naturales, tum animales esse. Cap. V.

CVm itaque adhuc in fabulæ versemur epitesi, vndique enim inter Aristot. & Platonem sunt controuersiæ, si uelimus vndique rumores sedare, necesse ęst, vt via quadam velũti media ad catastrophem progrediamur, quæ tametsi neque Platonis, neque Aristotel. mentem ad vnguem assequetur, permultis nihilominus, & ijs validissimis vtriusque Theorematibus erit valde consentanea, ipsi autem veritati venandę adeo plana, directaque, vt ex ea omnia prorsus offendicula sponte amoueantur. hæc insuper ab experientia quæ nunquam fuit erroris magistra (& ob id in ea confidimus dicebat Auic.) adeo illustrabitur, ut per eam, absque ullo

Auic. 4. 4. to. I.

Arist. 2. de anima. in princ.

difficultatis timore iter facillimum sit futurum. Philosophus animæ potentias exploraturus, ab ipsius operationibus tanquam ijs, quæ nos ad ipsas facultates, à quibus effluunt, manu ducunt contemplationis capit initium. Quare ipsum imitati, accipiamus tanquam verissimum cordis operationes præcipuas tres esse, nempe functionem pulsatilem, irascibilem, & spiritus creatricem. At vero in spiritus creatrice nullus fit motus localis, quia alteratio, concoctioque quietem potius expostulant in reliquis autem duabus manifestus intercedit motus, differentia tantummodo est inter vtramque, quia functio pulsatilis est solus motus lationis, nam cor sensibiliter dilatatur, atq; mouetur. in operatione autē irascibili, præter lationis motum: nam quoquo uersum circumfunditur calor. & hoc similiter in uirtute pulsationis, sed vehementioris, connectitur ēt motus alterationis, & nunc perpendimus irascibilem functionem materialiter, pro ut scilicet est feruor caloris ex omnium sentētia, & per feruorem, ut in exemplo aquæ feruentis patet, intelligunt de necessitate alteratiuum, & latiuum motum simul inuicem connexos. Accipiamus pro nunc utriusque functionis, lationis motum. cum vterque motus ad fines, de quibus abundè dictum fuit, dirigatur, necesse est, vt quilibet eorum ab aliqua mouente facultate permaneat, quæ nō nisi motiua facultas potest appellari. Verum quoniam hæc est duplicis generis, animalis videlicet, & naturalis: ideo asseueranter dicimus, hos motus à duplici facultate motiua procreari animali videlicet, & naturali simul mixtis, & proinde motus hos tum animales, tum naturales posse enūtiari, & hoc maximo iure. nam cor cum innati caloris, & totius uitæ principium, & omnium facultatum seminarium, & promptuarium quoddam existat, sicuti in corporis medio fuit locatum, ut omnem calorem, & vitam omnigenam singulis corporis partibus æquabiliter dispensaret, eadem de causa in cunctis facultatibus, & functionibus suis debebat tum animalem, tùm naturalem uirtutem æquo modo participare, ad hoc, ut quemadmodum est totius vitæ, & corporis basis, & fundamentum, cuius temperamentum corporis totius consequitur temperatura, (à temperamento autem ut voluerunt Hip. & Gal. omnes emanant animantiū operationes) ita merito, &

to, &

tò,& uirtute cordis totum corpus, quēadmodum Diuin.nouit Hip. sibi inuicē conspirabile, sympatibile, & communicabile esset. Verum probemus iā vtrumque,& primo cordis pulsum ab animali prodire facultate,& proinde motum animalē esse. Hac prius distinctione præmissa, motus illos p̄cipue animales esse, qui à volūtate depēdent, & fiunt in virtute musculorū, qui sunt instrumenta motui voluntario deseruientia, illos autē naturales dici, qui necessitatem consequūtur,& fiunt sine musculis. Tunc supponendum est tanquā notissimum facultatem motiuā nullam expromere motionem, nisi in uirtute appetitus animalis, qui motum ipsum de necessitate præcedit, appetitum autē ipsum necessario præcedit cognitio, siue sensitiua sit, siue intellectiua: nāque post cognitionem obiecti, ut delectabile est, vel ut irascibile, existit, sequtur appetitio ꝓsequendi quod delectabile, fugiendi q̄d tristabile. & deinde sequitur motus. at uero ut supra ex mēte Philosophi dictū fuit, appetitus sunt desideriū, siue concupiscentia, ira, & uoluntas: sed circa iram animaduertendū est, quod materialiter conside rata, ut scilicet est feruor, seu circūfusio caloris, ut sic redigitur ad facultatē motiuā, & ad pulsatilem uirtutem, ut infra apparebit,& hoc pacto irę motus appetitū cōsequitur irascibilem: si verò formaliter accipiatur, ut est appetitus sumēdi uindictā, ut sic reducitur ad appetitū animalem, sed irascibilem. Porrò motus hic, in quo calor, vt inquiunt Gal.& Pla. vehemēter circumfunditur per vniuersum corpus, quāuis nō edatur, nisi in virtute vehementis cordis, & arteriarū pulsationis: attamen nō est penitus inuolūtarius. nā & si cordis motus, absolute cō sideratus, pōt appellari inuoluntarius, is nihilominus, si prout uehemens est perpēdatur, potest uoluntarius nuncupari. Si enim iracūdiæ motus ex aliquo uoluntatis arbitrio non depēderet, frustra Moralis Philosophus morborū, qui ex animæ affectibus,& perturbationib. in ira proficiscuntur, curationem aggrederetur. hi tamē methodo aliqua possunt curari, quēadmodū testatur Gal. qui scribens contra Crisyppum, asseruit Plat. eorū curationē perfectissime instituisse. Idem ex Philosopho colligere licet, qui agens de sportaneo,& inuito, tanquā de causis nostrarum operationum, à quibus postmodum operationib. prodeunt uirtutes,& uicia; colligit omnia siue bo-

Arist. 2 de anima cō-tex. 27.

Gal. 4. de Plac. & 5. de Plac. c. 6. ante medium.

Arist. li. 3. Moral. Nichomach. cap. 1.

na, siue mala, quę nobis inuitis perpetrātur, neque pręmium, neque poenam mereri. insuper in hoc motu non desideratur musculus, quoniam nullum uiscus in corpoce reperitur, qui magis musculi substantiam, compositionem, figuram, & reliqua ad musculum attinentia præseferat, ipso corde. Est enim præditum substantia dura, robusta, fibrosa, rubraque, & ad musculi similitudinem circa principium, & basim lata, & crassa, prope finem, & summitatē angusta, & tenui; circa quam neque nerui, neque ligamenta desunt. Ex his autem potissimum musculi cōstruuntur, musculus cum moueatur iniuntur ossi, aut cartilagini quiescenti, ita in cordis basi in quibusdam animalibus os, in nonnullis cartilago adinuenitur. quod si musculus mouet, eo quia contrahitur, cor autem mouet, quia cōtrahitur, & quia dilatatur, hoc fit, quia cor cauitatem habet, musculus autem minime, quia cum immobili, quod a musculo mouetur, magna adsit resistentia, ideo solam contractionē (ut esset robustior) & substātiam solidam sortitus fuit. nil igitur obstat, quin cordis motus possit esse animalis. Vnde sicuti motiua facultas exquisite talis constituit quidem uitæ gradum à reliquis essentialiter distinctum, non tamen constituit quartam animæ speciem, nam animæ species non operationibus, sed se ipsis, & propria essentia distinguuntur; quia ex Aristotele actus est, qui separat, & qui distinguit: facultas autem motiua sub alijs continetur, & ad alios consequitur uitæ gradus; idem etiam prorsus de irascibili facultate statuendum sit. hāc veritatem manifestauit Philosophus inquiens, „ moueri secundum locum insequitur sentire, & intellige- „ re, atque ex his dependet. imo dicebat cognitio, & appetitus „ sunt principia motus s̄m locum. primo. n. fit cognitio obiecti sensibilis, ut sensibile: secūdo cognitio obiecti, ut delectabile, vel tristabile: tertio appetitio prosequēdi qđ delectabile, & fugiendi qđ tristabile. Quarto sequitur motus s̄m locum, simili mō in iracūdia talis est ordo. primo p̄cedit cognitio obiecti, ꝓut sensibile: secūdo pro ut offensiuū est. tertio sequitur cupiditas sumendi uindictam. Quarto sequitur uelox & cordis, & caloris motus. hanc seriem declarauit Gal. ex mente Plat. his verbis. ira est feruor insiti caloris, cum anima vindictam sume „ re de eo cupit, quod videtur offendisse. eundem ordinem, & „

Aristot. 7. met. contex. 49.

Arist. 3. de anima cō. tex. 48.

Gal. 7. de plac. c. 3.

potissi-

potissimum caloris motum pulcherrime declarauit Plato sic inquiens, vbi iniustum aliquid siue extrinsecus ab alijs, siue intrinsecus à libidinibus perpetratur, continuò iræ uis feruescens per omnia membra sanguinem, & calorem vehementer circumfundit, &, ut addit Galenus ad instar satellitis, & apparitoris iubet, cogitque quidquid sensiuum in corpore est sibi obtemperare. Vnde nisi in iracundia motus localis intercederet satis fatue ipsam satelliti, & apparitori Galenus comparasset. Sed ut iræ feruor, & motus manifestior euadat, aduertendum, quod cum appetitus sit triplex, voluntas, ira, & concupiscentia, à voluntate, & concupiscentia potest prodire interdum appetitus prosequendi quod bonum est, uel quod delectat, interdum aufugiendi quod malum, & quod contristat, non tamen eodem tempore, sed successiue, & modo unum, modo aliud. ira autem est appetitus, qui in eodem tempore utrumque appetit. imo constat ex appetitu fugiendi quod nociuum est, & est illud, quod offendit, & prosequẽdi quod delectat, & est ipsa uindicta. Ideo dicebat Philosophus, quod in ira eodem tempore & dolorem, & gaudium percipimus. Quibus hunc in modum declaratis facillimum est videre cur in ira fiat feruor caloris, & motus ille vehemẽs. nam quamprimum nobis se se offert quod offendit, oritur appetitus illud aufugiendi & euitandi, & ideo spiritus, & sanguis retrahuntur ad centrum, quo fit, ut in irę motu omnes in principio pallidi euadant, & plerique decidant in terram: deinde altera ex parte insurgit appetitus prosequendi vindictam, & tunc in uirtute sistole spiritus, & sanguis incipit per totum corpus circum fundi. Cum igitur ab his motibus contrariis non parua fiat spirituum agitatio, & cum insuper inter motus contrarios de necessitate mediet quies, & hi motus oppositi assiduò sibi inuicem connectantur, quorum tamen motus ad circumferentiam potentior est (secus esset potius timor, quàm ira) hinc fit ut interim alteratrix cordis facultas agens in spiritum, & sanguinem à propria operatione non desistens, spiritum, & sanguinem calefaciat, præsertim dum concentrantur, & circa cor subsistunt ratione contrarietatis ipsorum motuum. Vnde in simplici timore spiritus, & sanguis nullo modo incalescunt, sed solum suffocantur, quia nulla à facultate irascibili, & animosa

Plato sic Tim. pag. 9. cir. med.

Appetitus triplex voluntas ira concupiscentia.

Aristot. 2. Rethoric. c. 2. i prin.

Aristot. 8. phys. tex. 65.

mosa fit resistentia,& propulsio ad extimas partes,eodem modo in lætitia,& gaudio,quia nimis effunduntur,& sola fit expansio,sanguis circa cor feruere non potest, quia nullus timor effusioni resistens commiscetur, propterea timor, & gaudium facilius, vt inquit Galenus ad sincopim deducũt,quàm ira,hæc autem, vt idem dicebat, est in causa, ut cor magnam motus patiatur mutationem. Ex his liquidò constat (ut opinor)ne dum motiuam exquisitam, uerum etiam irascibilem facultatem ad speciem animæ cognoscitiuam reduci debere. nunquam enim sine ea potest reperiri. Vegetalis uerò inuenitur separata à sentiente,& sentiens seiuncta ab intelligēte,motiua uerò semper connectitur cum cognoscente, & ab ea dependet,sub eaque continetur. Verum sciendum est, quòd licet tum motiua facultas propriè talis, tum irascibilis in functionibus suis utantur motu,& perpetuò cognitionem sequãtur:attamen irascibilis immediate insequitur solummodo cognitionem sensitiuam,& ab ea solum emergit. facultas autem motiua de loco ad locum, ut pote quæ motu perfectiore, & eminentiore vtitur non solum sensitiuam,uerum etiam intellectiuam cognitionem insequitur,nam motiua facultas exquisita,ne dum in homine paret rationis pręceptis,& appetitum insequitur intellectiuũ,uerum etiam in anima cœli res similiter sese habet.Primo enim anima cœli intelligit quod bonum est,mox illud appetit,& sequitur motus,ut ait Philosophus. irascibilis uerò in anima cœli non reperitur, quia ibi neque sensus, neque corruptio adinuenitur.cum enim sit æternum, ex omnium consensu conseruatione nõ indiget. quod autem in cœlo non sit sensus,neque internus,ut patuit Au.neque externus,ut falso credidit Philoponus, colligitur ex Aristotele tertio de anima,ubi ait,sensum ex temperatura quatuor Elementorum, & proportione inter quatuor primas qualitates oriri,& rursus corpus simplex sensum quidem non habet,sed cœlum est corpus simplex.maior propositio ex eo comprobatur, quia sensus requirit organum.imo Aristoteles ex numero organorum sensuum numerum colligit.præterea si cœlum sentientem animam haberet,esset frustratoria,quia nihil ei cõduceret. nõ enim ei esset utilis quo ad melius esse animę,quoniam intelligentiæ ministerio sensuum, & phantasmatum nõ

Arist. 3. de anima cõ. tex. 30.

Io. Gram. 2. de ani. super tex. 15.

Arist. 3. de anima. 62. cont.

Arist. 1. cęli tex. 8.

Arist. 2. de anima cõ. tex. 128.

intel-

intelligunt,sunt enim actus puri,& penitus à materia separati,neque anima sentiens ei conferret ad melius esse, corporis, quoniã cũ inalterabile sit, & incorruptibile,nullam salutem, aut conseruationem exposcit:sensus autẽ corpori aĩalium conferunt,ut eorum ope, quæ nocua sunt aufugiant, & ea, quæ sunt salutaria complectantur.Quare statuendum est irascibilem facultatem in animantibus animam sensitiuam, non autem intellectiuam immediate concomitari.Quinimo sæpe inter rationem, & animi affectus seditione exorta ira rationi aduersatur,ut nos docuit Gal.ex mente etiam Plat.Exemplo Medeæ ab Euripide tradito. Cum enim Medeæ animus rationis, & iracundiæ seditione agitaretur,eam sic colloquentem introducit.Cognosco quam nefanda nunc eo patro mala. Sed ira consilio potentior est meo. Quod si interdum ira rationi opitulatur(quemadmodum ex naturæ lege opitulari semper deberet,ut docet Gal.locis superius citatis.) Vt in exemplo ex Homero adducto,qui cecinit Vlissem iracundia contra procorum, ancillarum flagitia, &aduersus Ciclopem uehemẽter stimulatum iræ vim rõnis consilio strenuè compescuisse;non ob id tunc temporis ira immediate à ratione promanat,sed à sensu ipso,à quo nunquam potest rebellare,cum sit ei fædere perpetuo colligata:sed quoniam sensus rationi obtemperat, ideo ira una cum ipso rationem insequitur.Idem nobis persuadet D. Thomas dum ait, irascibilis dupliciter accipi potest,uno modo propriè, & sic est pars appetitus sensitiui, sicut & ira proprie sumpta est passio appetitus sensitiui:alio modo irascibilis potest accipi largius,ut scilicet pertineat etiam ad appetitum intellectiuum,cui etiam quandoque attribuitur ira. Et hæc ad probandũ iracũdię motum, & proinde cordis motum pro ut uehemens est consideratum,animalem esse, satis sufficiant.Quod autem motus hic aliqua ex parte naturalis sit,inde facile patere potest, quòd,quodam naturæ instinctu,offendentes odio prosequimur,& in eorum uindictam naturaliter ferimur:ea propter cum primos iracundiæ motus, ceu ex quadam naturæ lege prodeuntes,non possimus coercere, protrito sermone uulgatum est,primos motus non esse in potestate nostra.cui sententiæ fauent iuris peritorum decreta,qui non nisi post quoddam præfinitum tempus,iracundiæ excessus acriter

punire

Arist. 12. met. post 29. cont. passim.

Gale.3. de plac.c. 3.

Gala.6. de de plac. c. 2. & eodẽ 6.c.8. & 7. de pla. 3.c.

Diu.Tho. in 2. 2. q. 162. art.3. & 1.par.q. 82. art. 5.

punire consueuerunt. Altera, ex parte si perpendamus cordis, arteriarumq; pulsatilem motum absolute cum hoc pacto nullo modo fiat ex uoluntatis arbitrio, sed ex calors innati moderandi, atque mouendi necessitate quadam ineuitabili cieatur. &, si nō in cordis, saltem in arteriarum ab eo exorientium, motū, musculus omnino desideretur: cogimur dicere motū hunc pulsatiuum à uegetatiuo animæ principio produci. Sed (ut omnes ambiguitates tollantur) non ut (simpliciter, & absolute) uegetatiuum est, uerum ut in nobiliore ordine uegetatiuū reperitur. Qua nobilitate, & perfectione corrupta, cum illam animalia ad esse proprium de necessitate requirant, ipsa quoque animalia corrumpi necesse est. Ordo autem hic nobilior est eorum uiuentium, quæ & cor, & calorem plurimum sortita sunt. & quemadmodum anima sensitiua, in uilioribus sita animalibus, ut in lumbricis, uermibus, & conchilibus, paucio res habet tum exteriores, tum interiores potētias & operationes: sic Vegetatiua in prętantiore ordine uiuētium plures potentias, functionesque promit: in ignobiliore autem uegetatiuum genere pauciores, atque ignobiliores. hinc non modo stirpium, uerum etiam animantium genus aliquod uirtute caret generatrice. Ad nutritiuā autem animam, seu uegetatiuā referendam esse pulsatilem potentiā ex his uerbis Arist. confici potest, sic enim ille. Alias uirtutes animæ impossibile est existere sine nutritiua, propter quā autē causam dictum est in ijs, quæ de anima: nam uegetatiua potentia cæteris animæ partibus subseruitur de necessitate. Verum hoc item tribuitur pulsatiuæ uirtuti, ut sine ea nequeant cæterę facultates animę consistere. igitur aut eadem erit, quæ nutritiua, aut ex eadem in perfectioribus animalibus. Ad hæc. omne, inquit, quod nutritur, necessario uiuit, & non uiuit nisi dum potest nutrimen tum accipere. sic animalia, in quibus magna uis est innati caloris tamdiu uiuunt, quo ad pulsus procreatrix facultas superstes fuerit, & quemadmodum inquit idem Arist. Necesse est simul uitam existere, & calidi innati uim, atque conseruationem. eodem modo nos dicimus necessarium esse, ut simul cū calidi innati productione facultas existat pulsatiua. id quod Auctor libri de spiritu planis uerbis indicauit, cum dixit, pulsum primum esse motum, qui in animalis constitutione cieatur, &

Aristo. lib. de iuu. & sen. c. 10.

Arist 2. de anim. tex. 13.

Aristo. lib. de iuu. & sen. c. 2. & 10.

tur, &

tur,& inter prima, quæ in animalis generatione spectantur numerandum esse. Is autem non ad uegetabilis animæ generatricem;uel augmẽtatricem potentiam,sed ad nutritricem potissimum uirtutem potest reduci, cum ueluti ex quadam attractrice,& expultrice perfectissima sit conflatus,nam quemadmodum eæ quæ sunt simpliciter altricis famulæ ad alimentum,& excremẽtum dumtaxat diriguntur,ita systoles,& dyastoles ad calorem ipsum,qui alimentum conficit, excrementum segregat, & summatim uirtutes omnes perficit,referuntur. At uero perfectionem hanc non modo ex perfectiori fine,uerum etiam ex animali,ut dictum est,simul adiuuante,& perficiente uirtute potuit sortiri quid enim obstat quin cordis diastole eum insequatur,animalem appetitum,qui ad prosequendum quod delectat(calori nempe refrigerium, spiritibus uero nutrimentum) subordinatur?non ne Systoles, & ipsa quod inimicum,& quodam modo iracundum est fuligines videlicet,& superfluum excremẽtum,procul extrudit? Quod si adeo necessarij sunt hi motus, ut uoluntatis dominio nullo pacto subijciantur,id profectò non ob aliud, nisi propter ingentem assiduo instantem necessitatem prouenire censendum est,quemadmodum etiam in Thoracis,respirationisque motu fieri conspicimus, qui tametsi necessarius sit, attamen pulsatiuo motu eo magis uoluntati subijcitur,quo respiratio si pulsui conferatur à tanta recedit necessitate.id nobis ostendit infans adhuc in matris utero conclusus,in quo nulla prorsus editur respiratio.Ex his colligimus cordis irascibilem pulsatileque motum,& naturalem,& animalem uirtutem sibi inuicem cõnexas redolere. Quod etiam de spiritus genitrice facultate licet enunciare.nam & si potentia hæc naturalis sit,alterationem siquidem, concoctionemque dumtaxat functiones promit, attamen, prout spiritus uitales producit, qui nedum animæ naturæ quodammodo genericę, & ad omnes animæ species indifferenter se se habentis,opus, & soboles sunt, uerum etiam totius caloris, Omnis spiritus, & cuiuslibet facultatis,siue animali sit, siue naturalis,sunt uehiculum,fundamentum,organumque,potest statui potentia quædam generica,quæ & de naturali, & de animali uirtute prædicari potest. Hinc rationabiliter conijcere possumus, non modo primam,

uerum etiam realem, & exquisitam spirituum generationem in corde obiri. quamuis enim ex Gal. sententia uenæ contineant sanguinem non sine spiritibus: in iecore nihilominus nulla prorsus fit spirituum procreatio, ceu à quo nulla fit aeris attractio, cum nec iecur, nec ab eo exorta uasa quicquam pulsent. Sed uenæ spiritum omnem ab arterijs merito anostomosis, & mutuæ connexionis inter utrasque, suscipiunt, & ob id potissimum, quia in corde fit ueluti prima uenarum cũ arterijs anostomosis. Simili modo in cerebro spiritus noui nõ fiunt, quia generatio fit per concoctionem, concoctio uero fit à calore, sed ij, qui in corde geniti iam sunt alterationem, & contemperationem, merito cerebri frigidioris, acquirunt. unde quemadmodum in corde fit prima uenarum cum arterijs colligatio, ita in cerebro, nexus fit pręcipuus arteriarum cum neruis. Ideo arteriarum Textus ille mirabilis non aliter prope cerebri uentriculos desinit, atque iuxta sinistrum cordis sinũ uena caua principio magnæ arteriæ fuerit applicita. Vnde sicuti per foramina, quę in septo untriculos cordis diuidente reperiuntur, substantiæ hinc inde permeare, & remeare possunt, & ea multo promptius, quæ cum tenuior sit penetrationi, fluxionique est magis parata. Ita per meatus, quia rete mirabili in cerebri uentres se se insinuant, idem contingere existimandum est propter assiduam arteriarum agitationem. Ex quibus iam elucet animæ sedes, membrorumque principatus: & cur animalis facultas in cerebro præsertim perfectas uires, & functiones expromat. hinc quoque percipimus, cur metus, & mœstitia, audacia, & ira quę formaliter in corde ex omnium Philosophorum, & Medicorum sententia collocantur, cerebri quoque naxas sicut in melancolico delirio, & phremitide contingit, insequantur. Nam ubi rectricibus functionibus noxa communicatur statim animalis spiritus intemperiem diuersam diuersi quoque comitãtur animæ affectus ut etiam in corde fit. Quod autem in cerebro spiritus non fiant noui ex eo depræhendere licet, quia cerebrum non pulsat. neque motu dilatatiuo (ut arteriæ) iugiter mouetur. siquidem nerui omnes ipsius propagines penitus immobiles sunt, neq; in praxi dum à plaga uehementi cerebrum denudatur ullus nunquã apparet ipsius motus, sed perpetuò motus, quem obseruamus, fit ab arterijs.

rijs resilientibus,ut ex manu pulsui applicita eius uniformitas in motu cum arteriarum cerebri pulsu declaratur. Praeterea motus hic frustratorius esset nihil.n.ei conduceret ad alliciendos spiritus ex arterijs,quia munus hoc subire potest arteriarum systolę,neq; ad diffundendos animales spiritus uocatos,quia prętér id quod tenuissimi sunt,neruis solidis,& meatu carentibus per irradiationem communicantur,neque motus ei esset expediens ad attrahendum aerem per meatum olfactorium. quia in coriza & grauedine.in polypo,in mala conformatione, & natiua, et adsititia ab ictu, in ossis ydmoidis meatibus(ut sæpe uidi)integra fit angustia, & sensus olfactus omnino aboletur,reliqua tamen animalis facultas permanet illesa,& omnino inculpata. Cerebrum igitur non mouetur,& proinde à cerebro nulla fit aeris attractio, neque noua spiritus generatio. Sed spiritus ei demandantur ab arterijs,& rete mirabili,quod icciico in minutissimas, & innumeras tendit arterias,ut pręter usum à Galeno allatũ in 9.de usu partiũ (ubi Textum hunc uasorum seminalium capreolis comparauit)tenuissimam tantummodo uaporosam substantiam in cerebri uentriculos transfunderet,quo in loco deinde facillimę à cerebri substantia elaborari potest. Hinc patet cur per uasa umbilicalia solum uenæ, & arteriæ iecori,& cordi fuerint demandatæ, minimè autem nerui ipsi cerebro. fœtus tamen in utero coniectus calcitrat, & motus hic animalis est,nulla tamen præcessit aeris per nares attractio,quia nulla quoque pręcessit respiratio,præsertim cum cerebrum non moueatur, ut dictum est. Arteriæ autem, quia per totum corpus usque ad extimas partes disseminantur,uirtute dyastole aerem possunt allicere,licet in tempore gestationis aeris attractio parum necessaria sit tum quia spiritus uitales à matre ad foetus arterias usque ad cor deferuntur: tum quia cum neque respiret,neque spiritibus animalibus ad sensum,uel ad motum indigeat uiuit tunc temporis magis, uita stirpis, & anima uegetabili ad incrementum, & foetus perfectionem necessaria. calor item cordis, quia eo tempore à nimia obtunditur humiditate ad sui ipsius moderationem pauco omnino aeris refrigerio opus habet,& quod dictum est de principijs, idem de principiatis statuendum est.nam uenæ. Sanguinem gignunt, arteriæ spiri-

Gale 9 de usu part. cap. 8.

Post ortũ uero calor pp frigiditatem

tum,ut testatur Gal. merito uirtutis à suis principijs sibi demandatę. nerui uero spiritus animales nõ gignunt, non enim caui sunt, & perforati, sed solummodo spirituum animalium, qui in cerebro sunt ueluti quandã iradicationem admittunt. Itaque spirituum generatio in corde fit, & non alibi, & ideo in sincopi omnes tum animales, tum naturales functiones pariter pereunt, quia spiritus omnes ad cor, tãquã ad propriam arcem, & suæ procreationis principium cõfugiunt. perspicuũ igitur est omnes cordis functiones & animalis & naturalis facultatis esse participes, eo tamen discrimine, quod ita animalis præsertim, Spirituum generatio potissimum naturalis uirtutis, est functio. Pulsus uero inter utrasq; exquisitè medius, eas æquabiliter participare deprehenditur. est enim animantis actio, ne dum tempore, & origine, uerum etiam necessitate prima, ab eaque tanquam ab omnium animalium, & naturalium operationum radice, & promptuario, cæteræ omnes emergunt, & cum pulsus duplici motu constet; dyastole si systole conferatur, quemadmodum necessitate, ita, antiquitate prior fuit.

ambientis. magis roborat. nam calidissimus aer externus in collatione ad illũ qui in matrice continetur frigidus est. Gal. in lib. de usu pa. plurib. in loc.

Actio Animantiu prior cęteris

Pulsatilem uim & naturalem, & animalem esse adhuc magis tum ratione, tum experientia comprobatur. Cap. VI.

VErum quoniam plerique sententiam hanc fortasse nimis peregrinam existimabunt. iccirco liceat nobis eius ueritatem omnino, breuiter tamen, illustrare. Sciendum igitur, Naturam uarietatis amicam, ad uarias edendas operationes, uarios quoque motuum ordines excogitasse. Vnde cum sermo sit de motibus, qui ab intrinsecis fluunt principijs ad differentiam motuum inanimatorum (nam moueri à se ipsis, ut inquit Aristoteles & Plato proprium animatorum est) primo datur motus quidam ueluti omnium infimus, & obscurissimus, qui quidẽ partium similarium. ut uenarum, & aliarũ cõsimiliũ partiũ peculiaris est, in quo mobile mouetur, particulis mouẽtibus, immobilib. remanẽtibus. Exẽpli gratia, uenę attrahunt alimentum, & ipse non mouentur. imo dicebat Gal. has alimentum attraherę, eo prorsus modo, quo magnes attrahit

Aristot. 8 Phys. contex. 29 Plato 10 de legib. & in Phedro. Gale. 1. de facul. nat. passim.

hit ferrum, in uirtute scilicet sibi insitę proprietatis, simili modo in expulsione particulæ non mouentur, sed expulsio restauratioñe eius qđ deperditur solum consequitur, ideo dum id quod resarcitur maius est, eo quod deperditur, ut in his qui crescunt; expultrix est robustior. hinc etiam ossium particulæ à cæteris segregantur uirtute carnis, quæ à tergo ossis separati generatur. Secundo loco proximè locatur motus organorum, seu partium dissimilarium, quę ex diuersæ naturæ partibus, & potissimum neruis euidentibus conflantur, sicuti sūt uentriculus intestina, uesica, & uterus, hæ siquidem, meritò fibrarum neruosarum, dum attrahunt, uel expellunt, non solum mobile uelocius mouent, uerum etiam se ipsas mouent, nam & si Vterus neruos habeat à 6. pari neruorum ad sensum magis. quàm ad motum idoneos, ipsi nihilominus etiam à spinali medulla prope os sacrum nerui fuere demandati, qui cū duriores sint, sunt magis ad motum, quam ad sensum accommodati, supra quem tertius adhuc euidentior, prestantiorque motus est pulsatio ipsa à corde emanans, in qua cor mouēs adeo euidēter se ipsum exagitat, adhuc euidētior quarto loco reponitur. thoracis motus, qui licet sit dilatatiuus, & cōstrictiuus, ad similitudinem motus cordis, & cæterarum partium; attamen adhuc magis conspicuus est. & apertus. Tandē quintus in ordine omnium apertissimus est motus illorū mēbrorum, quæ de uno in alterum locum transferuntur. Horum motunm primus ipsarum stirpium proprius est, ceu in qui- bus nullum ex reliquis adinuenire licet, nec non etiam illarum partium in animalibus, quæ similares sunt, et hic penitus naturalis est, hinc epar, et pure naturalia membra paucissimos neruos sortita fuere. Vltimus uero est illorum animalium peculiaris, quæ huic, illucq; ex appetitus, uel uoluntati præscripro gradiuntur, & hic est animalis exacte, namque immediate non consequitur appetitum irascibilem, uel concupiscibilem neque fit, quia pars, quæ mouet, & mouetur; immediate quod delectat, uel contristat persentiat, sed solummodo uolūtatem immediate consequitur, in quo rursus reperiuntur gradus, quatenus quidam obliquus, quidam rectus, donec tādem ad circularē deueniamus, qui omnium perfectissimus corporum cęlestium proprius est, cęteris tres inter primum, & quin

tum

Ossis particulae segregari a carne

Motus circularis perfectissimus est.

tum constituti, extremorum quodam modo participantes, sunt ex his mixti, ex naturali uidelicet, & animali; sed secundus magis naturalis est, quam animalis, quartus è conuerso magis animalis, quàm naturalis. Tertius uero est quodam modo inter omnes exquisite medius, cum ęqualiter utriusque sit generis particeps, ut ostensum est. Vnde quatenus calorem innatum conseruat est naturalis, quatenus spiritibus animalibus materiam idoneã præparat, & suppeditat est animalis, prout refertur ad causam impulsiuam, & necessitatẽ, cum hæc calor sit naturalis, naturalis, est, prout tanquã ab agẽte pcipuo fit à pulsatili uirtute potest dici animalis, ratione instrumẽti, quod quidem est calor natiuus, est naturalis, ratione opificis animalis est. in quantum est adeo apertus potest animalis conseri. in quantum inuoluntarius naturalis facultatis est index. simili modo potest statui medius inter utrumque, quatenus fit, à potentia, quæ ad irascibilem uim materialiter consideratam reducitur, propterea quod irascibilis facultas inter naturalem, & animalem est exquisite media non solrm ratione loci, uerum etiam quia in utriusque cõseruationem, ueluti earum nexus quidam, conspirat, quo fit ut animal minimè conseruari posset nisi inter facultates ipsum gubernantes cõspiratio, & colligatio reperiretur. Hæc aũt facultatũ cõiunctio potissimũ fit à cordis motu, qui ut ex superius traditis colligimus omnes spiritus, ceu animæ instrumenta, & proinde omnes facultates permiscet, & simul inuicem connectit. Porrò secũdum in ordine motum, quamuis naturalis dicatur, quia in eo neque uoluntas, neq; musculus cõcurrit, sed solum aĩalis alendi necessitas, animalis tamen facultatis esse participem, ex his quæ traduntur à Galeno, & Aristotele facile probatur. Namque intestina, & uesica ut excrementorum expulsioni essent idonea, & neruos, & neruosam fibrosamque substantiam fuerunt adepta. id nobis ostendunt acerbi harum partiũ dolores. Ventriculus, & uterus, cum pter expulsionem, ualida quoque attractrice prædita sint (nam uterus ex Galeni sententia semẽ allicit cum auiditate uentriculus uero cibaria semiattrita suscipere depræhẽditur) ideo copiosiores adhuc habuerunt neruos propterea acerbiores in his fiunt dolores, qui frequentius lipothymias, & syncopes accersunt. hinc harum partium

Coniunctio et connexio fit a cordis motu.

motus

motus clariores expromuntur,adeo ut Plato uterum ipsum, animal quoddam nuncupare non dubitauerit. nam multas neruorum propagines ad uoluptatis sensum, & ad ualidissimam fœtus iam perfecti expulsionem requirebat. Ventriculus uerò idem exigebat propter animalem appetitum, qui supra iam dictas potentias, in eius ore collocari debuerat. quibus tanquam ueris suppositis. Dicebat Gal. neruos datos esse, uel propter sensum, uel propter motum, uel propter dignotionem contristantis. unde intestina non ob aliud neruos fuerunt consequuta, nisi ut feces contristantes dignoscerent, & eas expellerent. modo dicebat Aristoteles ubi sensitiuum, ibi & appetitiuum, & si sensus est animalis ergo, & appetitus ipsum insequens animalis erit ergò motus, seu expulsio consequens appetitum animalis erit facultatis particeps, quod si nō esset, qui quęso fieri posset, ut ab expultrice simpliciter, & exacte naturali tàm magnæ fierent expulsiones? nō ne (ut oñ sum est) partes simpliciter naturales expellēdo penitus permanēt immobiles, ut in plantarū, & ossium liquet expulsione similiter quod respiratio motus sit aliqua ex parte naturalis planū est. Nam tum in somno naturali, in quo facultas secundum naturam ligatur, tum multo magis in affectibus soporiferis; ut in forti apopl. in quibus adest interdum integra cerebri angustia, & facultas omnino ligatur à copula præter naturali, remanet respiratio, in qua uoluntas nullo modo concurrit. Vnde tunc temporis credendum est, Thoracis motum adiuuari, & cieri à naturali facultate, quæ residet in spiritibus, & calore, qui eo loci, & potissimum in corde subiecto copiosissimus est hinc Gal. dixit interdum cor esse præcipuum respirationis instrumentū. est tamen motus Thoracis magis animalis & uolūtarius, ut in exemplo serui fugitiui declarauit Gal. Verum aliquis dubitare posset, quomodo cor, cuius motus est animalis facultatis magis particeps, quàm naturalium membrorum motus, si iam dictis membris conferatur, ut utero, uentriculo & alijs, minorem neruorum portionem consequutum fuerit. Ideo sciendum est, cor duplici de causa paucioribus neruis indiguisse. primo quia mobile, quod à corde mouetur parum resistit, eo quia non nisi aerem, halituosam, & tenuem substantiam attrahit, uel expellit; uentriculus autem & uterus mo-

Gal. 14. de usu par. c. penult.

Arist. 2. de anima cō. tex. 27.

uent mobile, in quo maior, imo interdum maxima adest resistentia. Secundo quoniam cor paucos exigebat neruos ratione eximij caloris, qui sua natura, & sensum excitare, & motum roborare, & velocitare valet, quemadmodum è conuerso frigiditas motum, & sensum inertem, & torpidū reddere potest. Ideo ventriculus, vterus, vesica, & intestina veluti exanguia, & frigida neruos copiosiores sortita sunt. Thorax vero, & neruos, & masculos copiosissimos obtinuit, quoniam ne dum aerem allicere, verum etiam pulmones, & costas attollere debebat. Quòd autem ventriculi, vteri, & aliorum organorum, quæ neruis copiosis prædita sunt, motiones, sint quadantenus animalis facultatis soboles, non minus experientia cõprobari potest. nam fortis imaginatio non modo singultum tollit, verum etiam deglutitionem sistit. Somnus naturalium membrorum expultricem torpidam reddit. vt quid hæc? nisi quia animalis facultas aliò reuocata, vel ligata non influit? hinc post assumpta ellectiuè educentia, postea quam de potentia ad actum fuerint deducta, dormiendum non est. eadem de causa in apopl. & sopriferis affectibus debilis omnino, & nonnunquam ablata redditur expultrix, quo fit, vt validissimis egeamus auxilijs, & acerrimis clisterijs, quæ quidem ab occulta attrahant qualitate, quæ potest ab innato calore superstitè excitari, & per totum corpus diffundi, neque licet instantiam labefactare asserendo, hæc omnia contingere, quia amoueatur sensus tactus, vt ob id viscera quod contristat nõ persentiant. namque si sensus, vel stimulantis rei cognitio functiò animalis est, non autem naturalis, ergo & appetitus, sensum insequens, animalis erit, si verò appetitus purè naturalis statuatur, ad quid sensus ille præcedens appetitum? non ne partes naturales naturaliter attrahunt absque vlla prorsus facultate tactiua? Insuper ad quid motus ille consequens appetitum illum? non ne iecur, lien, renes, fellea vesica nullo prorsus intercedente motu assiduo, quod sibi vtile, & familiare est alliciunt? Quod si dictarum partium motus animalem quoquo pacto redolent facultatem; quanto magis pulsus cordis, ceu membri longe præstantioris eandem facultatem participabit? Sed quid plura de naturalis, & animalis facultatis conspiratione, atque connexu in animalibus enunciabo? Non ne

uirtus

Imaginatiua vis mouet cunctos humores.

uirtus imaginatiua, (quemadmodum nobis lucidissimus aperuit Themistius) in omnium humorum motione maximè pollet? & in eorundem distributione vim habet singularem? Si enim in somnijs phantasiæ obiecta aduersantur iracunda, humores feruent, & agitantur si timorosa frigescunt, & concentrantur, si iucunda, delectabiliaque expanduntur. In vigiliis quoque ratione diuersarum imaginum excandescimus tristamur, lætamur, irascimur, & proinde humores diuersimode agitantur, & quod maximum est huius colligantiæ, & conspirationis inditium, dum in mulierum phantasia diuersarum rerum uigét concupiscentiæ, siue tunc temporis fœtum concipiant, siue vtero gerant, ita varii humores fœtum ipsum diuersimodè iuxta speciem imaginationis inficiunt, & tanta huius est vis, vt ex parte albo, infantes fusci, vel nigri coloris sint exorti. Quam imaginatiuæ vim minimè ignorans Iacob, vt habetur in Sacra Genesi virgas populeas vario modo decorticatas in canalibus infundebat, vt oues in earum aspectu concipientes, fœtus vario colore respersos parerent.

Themist. in paraph. de in. & sc.

ex insomniis probatur

Grauidarum exemplo.

Lib. Gen. cap. 30.

Imaginationis vis

Galeni auctoritate uisu pulsatiuam naturalem, & animalem eße demonstratur. & cur uitalis a nonnullis uocetur, declaratur.

CAP. VII.

QVoniam verò plerique sunt, qui præter rationem & experientiam auctoritate summopere delectantur. iō liceat totum nostrum discursum Galeni auctoritate, qui tùm in Platonica, tùm in Aristotelica Philosophia fuit exercitatissimus, comprobare. is enim ab animi sui altitudine compulsus, & ab ipsa veritate veluti coactus volens nolens in eandem sententiam fuit traductus. Nam libro de differentiis Symptomatum c. 3. eam Symptomatum classem venaturus, quæ sub actione læsa continentur. Primo animantium actiones diuidit in animales, & naturales, de vitalibus verò nullam prorsus mentionem facit. Animales deinde actiones subdiuidens has distinguit in sensibiles, rectrices, atque motiuas. Postea motiuarum actionum læsionem

Gal. lib. de differ. sympt. c. 3.

actionum Doctrina

colligens inquit has posse uel auferri, uel uiciosè edi uiciosas autem edi quoties uel diminutæ sunt, uel deprauatę. Tandem deprauatas actiones animales enumerans inquit. Praui autem ,, motus sunt alius Tremulus alius conuulsiuus, alius palpitans, ,, alius uibrans. Porrò de motu tremulo nemo dubitat, quin ab animali actione proficiscatur. ita motus conuulsiuus, quamuis sit motus uel solius morbi, dum est exquisita conuulsio ut declarat idem Galenus, uel facultatis naturalis, nō aūt animalis, dum est conuulsio spuria; attamen quatenus motiua facultas quodāmodo inuita concurrit, & passio hæc propria est instrumentorum ad facultatem motiuam spectantium, & quatenus hæc instrumenta, ut puta musculi, tendones, & nerui ad proprium principium, ad quod ex naturæ lege consueuerant, retrahuntur, potest quodam modo ad animalem motiuam facultatem deprauatam reduci. Sed motus palpitans, & uibrans nullo pacto possunt ad actionem animalem deprauatam redigi, nisi quemadmodum statutum fuit dicamus cordis motum ad facultatem motiuam quadantenus pertinere. Quod autem impossibile sit alio pacto Galenum tueri, & eius dicta aliter assequi, imo ipsum à contradictione in eadē de symptomatum doctrina uindicare facile declaratur. nam dum proponit motum palpitantem ego quęro an loquatur de palpitatione uel cordis & arteriarum de qua in 6. de locis affectis cap. 1. uel de palpitatione aliarum partium: uerum non potest loqui de palpitatione cęterarum partium: nam tantum abest, ut motus hic palpitans sit facultatis animalis, ut potius omni prorsus facultate mouente (siue animalis sit, siue naturalis) destitutus sit; est enim syncerissimus motus solius morbi nempè flatus crassi, ut idem testatur. neque dicendum est palpitationem hanc posse dici motum facultatis animalis, quatenus in ipsa possint moueri musculi, qui sunt ipsius instrumenta, quia non mouentur ad suum principium, ut in motu conuulsiuo, sed solum dilatantur, & ab alijs partibus separantur, quod his uer- ,, bis declarat Gal. distat autem motus palpitationis manifestis ,, simè à motu conuulsionis, quod membrum neq; prorsus extē ,, dit, neque inflectit: in palpitationibus enim membrum nec ,, quod notabile sit extenditur, neque inflectitur, concutitur au ,, tem huc, atq; illuc, quoad musculus palpitare cesset. Ergo re- ,, linquitur

Gale. 2. de symp. cau. cau. c. 2.

Gale. 2. de symp. cau. cap. 2. post medium.

Gale. 1. de symp. cau. c. 2.

Gal. 2. eiusdem ca. 2 in fine.

linquitur de necessitate,ut de palpitatione cordis, & arteriarum loquatur.ergo motus cordis,& arteriarum erit motus deprauatus ab animali facultate dependens. cur autem motum cordis deprauatum palpitationem appellet Galenus, inferius apparebit.Postremo si perpendamus motum uibrantem, hic cordis solummodo,& arteriarum proprius est,ut ubique colligimus ex eodem Galeno. Tum libro de pulsib.ad Tirones,tũ primo de differentiis puls. Nec ualet si quis adducat uentriculum, ipsumque motu uibrante ex Galeni sententia laborare posse, affirmet.quia ait Galenus ipsum interdum laborare nõ motu uibrante proprie dicto, sed ueluti uibrante,ut etiam ait interdum concuti non tremore proprie dicto, sed ueluti tremore;ut insinuaret motum proprie uibrantem esse proprium facultatis motiuæ,quæ pro instrumento utitur arteriis, proprie autem tremorem esse peculiarem facultatis motiuæ,quæ utitur neruis, ex his igitur colligimus cordis motum ab animali cieri facultate. Quod autem idem motus ad naturalem facultatem pertineat, idem Galenus planissimis indicat uerbis. dum eodem libro de differentiis Sympt.c.4. in principio sic habet, Asphyxiæ, & cachosphyxiæ circa pulsuum actionẽ, sunt Symptomata,& ibi de actionum naturalium lęsione uerba facit. Patet igitur luce clarius Galenum cordis, & arteriarum pulsum ad actionem,& animalem, & naturalem reduxisse. Postremo ut Auic.& tot illustrium Virorum auctoritates tueantur animaduertendum est,quod quamuis pulsatilis facultas ex irascibili fluat animæ facultate,& tum animalis;tum naturalis possit existimari,attamen ea quoq; potest uitalis appellari, eo q̃a reliquis animę speciebus uiuẽdi principia subministrat, namque animali facultati principium præbet materiale. Cum enim dispositiones reducantur ad ipsam materiã, ea est quæ sanguinem,& Spiritũ attenuat,ut in animalem spiritum facile migrare posſit.Inferiori autem animæ parti, quę uegetalis est,calorem,& præcipuum nutritionis instrumentũ tanquam principium effectiuum exhibet.ad hæc cum ab hac calor innatus foueatur,& conseruetur, hic tandem præparat, & disponit materiam,qua anima in materia introducitur, & conseruatur,ut declarauit Arist. inquiens uitam, & animam calore in corpore contineri,ut iure meritò calor nexus,& co-

Gal. lib. de puls. ad tyro. ca. 2. & 1. de diff. puls. c. 27.

Gal. lib. de diff. symp. cap. 4. post medium.

Gal. lib. de diff. symp. c. 4. in pri.

Arist. lib. de rep. c. 4.

pula animæ cum corpore à ſapientibus dicatur, & ita natura ad plurima obeunda munia(ut ſui moris eſt)unicam pulſatilem uirtutem comparauit.ob id mirum non ſit, ſi uitalis ab ipſis potiſſimum medicis nuncupatur,quia, ut oſtenſum eſt, in ea totius uitæ ferè radix,& principium conſiſtit,& propterea in profligandis morbis perpetuo ad hanc oculos dirigunt eamque tanqnam uitæ totius fundamentum, & morborum præcipuam expugnatricem ſemper tueri,& conſeruare conantur. Ab iisdem quoque ſæpesſime appellatur natura, quia animalibus ipſum eſſe tribuit; atque conſeruat; & pro inſtrumento naturali utitur calore. Qui quidem & ſi unicus ſit, & eiuſdem rationis atque naturæ ex accidenti tamen prout ſcilicet à diuerſis principiis,& agentibus dirigitur, uaria nomina ſimili modo ſortitus fuit. pro ut enim dirigitur ab iraſcibili facultate poteſt iraſcibilis uocari, ut ab anima nutritrice, & naturali,dicitur naturalis,prout dirigitur ab anima, poteſt animalis appellari. Nec non etiam uitalis ab Ariſtot.nuncupatur, quia cum anima uiuendi principium ſit calor eſt uinculum anime cum corpore.quinimo etiam uirtus uitalis dici poteſt: quia cum ſit animę inſtrumentum ,animæ uirtus uocari poteſt,ab ipſoque uita proficiſci. hinc Philoſophus aſſeruit „ uitam caloris naturalis incolumitatem eſſe, mortem uero „ eius interitum fore. Et hæc de cordis virtutibus dicta ſint; nunc eius vitia proſequamur.

Ariſt. lib. citato.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE VIRTVTIBVS ET VITIIS CORDIS.

LIBER SECVNDVS.

DE PALPITATIONE.

Quæ nam organa cordis facultates requirant, & cur de solius Pulsatilis læsione agendum sit. Cap. I.

IN Superiore libro eò nostra deducta est oratio, ut ex his, quæ in eo tradita sunt, pleraque cordis arcana ad animæ sedem, ad membrorum principatum, ad facultates morales, ad animæ simplicitatem, pluralitatemuè, & ad spetierum animæ subordinationem attinentia, facillimum esset detegere. Verum quoniam in præsentia morborum cordis solummodo cognitionem, curationemq; profitemur; eàpropter Hip. imitati, qui ita referente Galeno artem speculatiuam minimè tractans philosophicas contemplationes tanquam medico inutiles omisit, & eas dumtaxat, quæ ad morborum curationes conferunt pertractauit; hæc omnia consulto prætermittamus. Imo quodam uerborũ ueluti filo ducti, multa præter sentẽtiam, huic tractatui contexuisse cernimus. Quod nobis uitio ascribendũ non est: eo quia impossibile est partis cuiuspiã agritudines recte callere, nisi prius eiusdẽ functiones oẽs fuerint exploratę; quę cum à facultatibus de necessitate fluãt, hinc de ipsarũ nu- Gale. 8. de Plac. ca. 3. & 5.

mero

mero quidditate,& necessitate profectus est sermo. Porro ut ex dictis licet colligere cordis munia, & functiones huiusce modi erunt,uitę,calorisque conseruatio,iracundia,motus pulsatiuus,& spiritus generatio. At uero uitæ tutela ab ipsius innati caloris in qua consistit conseruatione dependet, caloris uero nobis à primodijs generationis insiti conseruationem à tribus cordis functionibus,quæ remanēt, prodire,ex his,quæ dicta sunt,manifestum est. Cum ergo de harum functionum uitijs acturi simus (nam ubi inculpate,& secundum naturam obeuntur,cor rectè se habet,& nullum medici auxilium exposcit)Sciendum est quod cum functiones à propriis facultatibus proficiscantur,facultates non possunt ad proprias operationes edendas se conferre,& subinde proprietates fieri,nisi præter natiuum calorem, qui quidem animæ commune instrumentum existit,habeant quoque organa peculiaria,& determinata, in quorum uirtute anima ipsa,quæ in discriminatum in potentia erat ad plures functiones, ad proprias, & determinatas contrahatur.ut passim tum ex Aristotele tum Galeno colligere licet. Quæ quidem organa cum sint uel similaria,uel dissimilaria,ut nobis idem insinuauit Gal.non modo locis extra notatis uerū etiam passim in libris de meth.med. & libris de differentiis, & causis morborum. Propterea animaduertendum omnes iam dictas cordis facultates, proprietatesque, organa similaria potissimum requirere, quoniam animantium operationes ab organis corporeis emergunt,præsertim ut ex propria quadam temperatura sunt conflata, quæ consistit in certo quodam, & (ut dicebat Auic.) determinato gradu quattuor primarū qualitatum,& substantiarum elemētorum,ut nobis etiam manifestauit Philosophus, dū dicebat ,, sensum ex attemperatione elementorum,& symmetria pri- ,, marum qualitatum originem ducere. Verum particulariter ,, Pulsatilis facultas tanquam summè necessaria, & omnium ferè facultatum radix,& fundamentum, præter organum similare,exigit quoque organum dissimilare, in quo præter temperamentum, quædam etiam determinata conformatio præsertim debet repetiri.nisi enim cor ita esset conformatum, vt posset dilatari,atque constringi, proculdubio pulsare non valeret.Hanc veritatem nobis innuit Galenus his verbis. Alterū ,,

Arist. passim in 2. de anima præsertim tex. 128.& Gal.6.7. & 8.de Decr. lib. de usu par. & lib. de fac.nat. & 3. de symp.cau.. c. 1. & lib quod ani mi mor.3. & 5.

Arist. 3.de anim. tex. 62.

Gale.7. de Pla. c.3. in princ.

princi-

Motiones principii in corde situm

„ principium in corde situm est, cuius opera per se sunt animæ
„ tenor, & in iis, quæ ratio iusserit inuicta cõstantia eiusdem in
„ perturbationibus est quasi feruor quidam insiti caloris, quæ
„ ira appellatur. Vnde dum inquit (per se) innuit temperamentum, quia uoluit temperamentum animam esse. Supra temperamentum vero aliam virtutem non cognouit, imo interdum fassus est se animam ipsam penitus ignorare. Dum au-
„ tem subiungit. Per aliud verò id efficit, vt membris sigilla- Gale. 7. de usu part. c. 8.
„ tim omnibus calorem, arteriisque illam micationis, pulsusq;
„ agitationem suppeditet. per verba illa (per aliud) nil potest innuere nisi conformationem, quia tunc loquitur de pulsatili facultate. Quare quemadmodum à tali cordis temperamento irascibilis formaliter considerata, & spiritus creatrix facultas consurgunt, simili modo ab eodem temperamento vnà cum peculiari cordis conformatione associato pulsifica profi ciscitur proprietas. cuius pro uitæ, calorisque necnon omnium, quæ in animantibus eduntur functionum, tutela, tanta fuit necessitas, vt non solum in corde, verum etiam in arterijs vigeat, quæ cum ab eo originem ducant, similiter dilatantur, & constringuntur, & cordis pulsationi in magnitudine, frequentia, & velocitate perpetuò proportione respondent. Ad hæc; quoniam in partibus cordis, & similaribus, & dissimilaribus necessariò requiritur vnitas, quæ, vt quodam commune, & temperamento, & conformationi necessaria est. Propterea ex hoc discursu liquidò constat cor omne morbi genus perpeti posse. Ideò dicebat Auicenna. Cordi in sua pro- Auic. libr. 3. f. 11. t. 1. c. 2.
„ prietate omnes speties ægritudinum accidere; hoc est intem-
„ periem, malam compositionem, & diuisam vnitatem. Qui quidem morbi cum de necessitate supra scriptas functiones lædant (secus enim non essent morbi) idcirco de ipsarum læsione loquentes, de omnibus quoque cordis vitijs sermo fiet. At vero irascibilis functionis excessus consulto prætermittimus, quoniam hi voluntatis dominio subiecti, magis Philosophi moralis consilium, quàm Medici præsidium requirunt. Idcirco Galenus ex mente Platonis illud Gale. 5. de Plac. 6. ante mediū.
„ scriptum reliquit. Obtusos, & segnes, demissique, atque in
„ fracti animi homines, in orthiis numeris uehementerque ani
„ mum mouentibus harmoniis, huiuscemodique studiis, in cõ

trarijs

Anima temperamentum

Auicennas

trariis uero animosiores,ferociusq; exultantes, educabimus. „
Quod si iracundia adeo naturales limites egrediatur,& effrenis fiat,ut à uoluntate nullo pacto cohiberi possit, tunc necesse est,ut cordis quoque temperamentum, ex quo ira consurgit ualde sit immutatum,& latitudinem sanitatis omnino egressum,quod ubi cõtingit sequitur de necessitate,ut & cordis pulsatio in præter naturalem statum fuerit collapsa. Vnde de læso cordis pulsu loquentes subinde de quacunque cordis intemperie sermo fiet. Eadem de causa non est,ut de spiritus creatricis noxis agamus,quia cum & ipsa temperamentum insequatur,ubi illud præter naturam euadit pulsatilem de necessitate functionem lędit sufficit igitur ad hoc ut omnia cordis uicia conspicua fiant,& methodicè amoueantur,ut de quacunque pulsatilis functionis læsione accuratissimè pertractemus. Nam quemadmodum hæc interdum potest offendi aliis cordis functionibus illæsis(nam præter temperamentum conformationem requirit)ita impossibile est, iis noxam aliquam patientibus,hanc protinus functioni pulsatili non impartiri.

De lesa cordis Pulsatione.

Læsa cordis Pulsatio quæ nam esse dicatur,& quæ diminuta, quæ nam de prauata, & ablata pulsatio nuncupanda sit. Cap. II.

CVm igitur læsa cordis pulsatio(ut à rei natura exordiamur)nil aliud sit ex mente Galeni, quàm pulsus cordis à naturali constitutione exturbatus. Planum est pulsum hunc esse affectionẽ præter naturã. & symptoma qđ sub actione læsa continetur;& proinde(quemadmodum nos docuit Gal.)actionem hanc posse esse uel ablatam, uel uiciose editam; Aufertur autem non solum ab iisdem causis, quæ respirationem adimunt,intensioribus tamen, de quibus in tractatu de læsa respiratione abunde dictum est,ubi proposita fuere uenenosa,ut fungi,buprestes,cerusa,gipsum,lac concretum;mẽstruus sanguis, & semen retentum, in iis, quæ utero præfocantur. Verum etiam ab ijs, quæ sincopim excitantes subinde pulsificam uirtutem destruent, & tandem mortem inferunt,de quibus in sermone de syncope sermo fiet. At uerò uiciosè editur quotiescumque à mediocritate, & moderata pulsatione recedens, vitiosa, & immoderata euadit. Cum igitur

(Gale. 6. de Plac. ca. 1. propè medium. Gal. lib. & cap. cit. Gal. lib. de differ sym pt. c. 3. Galen primo đ sym pt. ca. c. 7. uersus finem.)

in

in relatione ad moderatam uiciosa pulsatio debeat in notescere: ideo moderatæ prius cognitionem, condictionesque in medium afferre oportet, cum ea ceterarum lex sit, atque mensura. Ea ergo moderata pulsatio statuēda erit, quæ nec magna; nec parua, nec celeris, nec tarda, nec crebra, nec rara, inter hæc extrema medium exactè seruabit. Vnde quæ ab hac medietate aut per remissionē, aut per intensionē recedet, ea immoderata cēsenda erit. Verū ne cōtingat deceptio animaduertendū moderatā pulsationē posse esse tum exactā, & absolutā, quæ tantummō in optima corporis natura animaduertitur, quæ & temperatissima est, & cōstitutione, prorsus media, ac uere quadrata, tum non exactam, sed respectiuam, pro ut scilicet refertur ad hunc, uel illum particularem, etiam si ab optima natura recedat. hinc fit, ut intemperatorum pulsationes (etiam si sani sint) adeò à temperatorum pulsationibus discrepent, ut celeris crebra, & magna pulsatio in tēperatis mediocris in intemperatis, ut pote calidioribus naturis, appellari possit. Hoc stante cum particularium curatio à nobis sit suscipienda, siue ij temperati sint, siue intemperati, idcirco immoderatam pulsationem ab ea præcipue moderata, & mediocri desumēdam esse uolumus, quę in respectu ad ipsiusmet particularis, quē curamus, naturalem statum, talis appellatur. Qui quidem naturalis status debet considerari non modo penes ipsius temperamentum, uerum etiam penes corporis habitum, penes sexum, & ætatem, ut in libris de pulsibus, nos docuit Galenus, & tandem ex eiusdem decreto si pulsus cordis naturalis tanquam cæterorum mensura debeat adinueniri is obseruandus est in ambiente temperato, in summa tum animi, tum corporis quiete, & non mox à cibo immodico, à meri potatione, ab exercitio, à balneo, à somno, neque illico ab ira, uel timore, aut ab aliis causis cor, & spiritus agitantibus, Vnde de pulsu nil quicquam statuendum est, antequam externarum causarū uis deferbuerit. omnisq; sedata sit corporis perturbatio. Verū quoniam non in naturali statu, sed fere ubi actu, uicioso cordis pulsu laborant (quo tempore ab affectu præter naturam naturalis pulsatio peruertitur) nobis se se offerunt ęgrotantes: Idcirco necessarium est, ut sin minus realiter id fieri nequit, saltem per rationabilem coniecturam ex his, quæ dicta

ſunt pulſatio naturalis adinueniatur. Quæ ubi fuerit mentē concepta ſi ab illa aliquis ſit receſſus præter naturam: Tunc receſſus hic poteſt eſſe uel per remiſſionem, & tum pulſatio poteſt nuncupari diminuta, uel per intenſionem, & deprauata poteſt appellari. Si recedat per remiſſiónem tunc à moderata pulſatione fit tranſitus ad paruitatem tarditatem, & raritatem; & huius receſſus cauſa uel in uſum, uel in facultatem poteſt referri. In uſum cum in corde natiui caloris penuria ingenſque refrigerium ſuboritur. Quod ubi contingit primum quidem raritas erit conſpicua, increſcente malo tarditas accedet, poſtremò paruitas. In facultatem uero, cum ipſa ad reſolutionem defectumque peruenerit, quemadmodum in lipothymia, & in ſyncope fieri obſeruamus, in qua propter viriũ reſolutionem pulſatio parua, tarda, & rara deprehenditur, quacunque de cauſa fuerint vires reſolute. Si vero per intenſionem à moderata receſſus fiat, tum cor vſu, & neceſſitate ſtimulatum (dicat quicquid velit Montanus) primum quidem pulſum edit crebrum, nam omniũ facillimus eſt, quod ſi crebritate neceſſitati nõ ſatisfaciat huic celeritatem adiungit, & ſi hæc duo non ſatis ſint, magnitudinem addit, dummodo imbecila non ſit facultas. quanto autem validior eſt tanto robuſtiorem, & vehementiorem pulſum edit, & quomodocunq; pulſatio hæc euadit deprauata. De qua primo loco agere decreuimus, quemadmodum fecit Auicennas, & omnes alii praxim profitentes, eo quia pulſatio potiſſimum deprauata eſt via ad valde diminutam, & ablatam, & proinde ad Licopſychiam, & ſyncopem, à ſyncope vero tanquam ab effectu valde pernicioſo (eſt enim via ad mortem) ſatius eſt homines præſeruare, quàm vt in eam dilabantur permittere. Quare à deprauata pulſatione ſermonem inchoantes eius naturam &, ut aiunt, quidditatem hunc in modum aſſignabimus.

*Gale. 1. de cauſ. pul.

De Pulſatione cordis Deprauata.

Deprauatæ pulſationis eſſentia declaratur. & exquiſita palpitatio cordis exploditur. Cap. III.

DEprauata cordis pulſatio eſt motus deprauatus pulſatilis virtutis cordis ab vſu acuto præter naturam ſtimulati.

lati. Huius vitii genus statuitur esse (motus) vt omnem prauum cordis motum comprehendat, videlicet dilatatiuum, cõpressiuum, vibrantem, & localem cum impetu productum; Nam interdum cor mouetur adeo ex loco naturali ad locum præter naturam, & adeo violenter vt ad costas impetuose delatum ipsas dislocet, & nonnunquam confringat. est autem (motus deprauatus) ad differentiam pulsationis diminutæ. Præterea dictum est pulsatilis virtutis, quia huius motus causa perpetua, proxima, & immediata est facultas pulsatilis. additum fuit (cordis) ad differentiam pulsatiuæ uirtutis, quæ uiget in arterijs: & præterea accipimus cor prout est insignitũ non modo pulsante virtute; Verùm etiam aliis facultatibus quei ei competunt, non in quantum cor, sed in quãtum pars vita prædita, & nutritione indigens: hæ autem sunt virtus tactiua, expultrix & attractrix, quæ virtutes ad hunc motum producendum diuersimodè concurrunt, quia sensus tactus perpetuò, & de necessitate requiritur, expultrix vero & attractrix non semper, sed interdum vna, interdum altera, interdũ utraque ut inferius patebit. cor autem lacessitur, & stimulatur (ab usu) quia etsi tres motus cordis causæ statuantur nempe efficiens hoc est facultas mouens, Instrumentum, seu cor quod mouetur. Et finalis nempe usus qui facultatem ad mouendum impellit; attamen facultatis lęsio, uel immutatio in pulsatione deprauata nullo modo concurrit. cum enim facultas dupliciter immutari possit, nam interdum robustior interdũ debilior euadit: à robustiore nullus sit prauus motus, sed potius ad naturalem usum accomodatior & magis idoneus. Si uerò imbecillior euaserit, ex se non deprauatum, sed potius diminutum cordis pulsum expromit: ex accidenti uero quatenus connectitur cum usu præter naturali potest non quidem maiorem aut ueIociorem, sed solum crebriorem, & subinde deprauatum edere pulsum ad hoc ut quod ex eo demagnitudine & uelocitate propter uirtutis imbecilitatem detrahitur frequẽtia resarciatur. Hæc autem usus non naturalis cõnexio, nedum in ægrotantibus (de quibus sermo fit) uerum etiã in conualescentibus & neutris corporibus locum habet; nam licet in his crebrior pulsus deprehendatur, non tamen facultas pulsatilis per se crebritatis est causa primaria, impelens

Virtus pulsatilis a causa perpetua proxima et immediata.

Gal. 1. de caus. puls. in princ.

que de qua in deffinitione fit mentio. Quoniam quemadmodum debilis reddita minorem, & tardiorem efficit pulsum ita rariorem produceret; sed crebriorem tanquã minus incõmodum eligit, quoniam ab usu non naturali, qui in reparatione caloris & spirituum ratione ante acti morbi dissipatorum consistit excitatur & quod dictum est de facultate mouente, idem statuendum de corde seu instrumento quod mouetur. Nam simplex cordis intemperies humida uel sicca motum ipsius magis imminuit. Nam etsi ratione humiditatis cor reddatur ad motũ magis dispositum, rõne autẽ siccitatis minus paratum, attamen à nimia humiditate calor obruitur, & remittitur usus, à nimia siccitate, ut Verbi gratia contigit in hetica senectutis præter id quod labefactatur facultas, cor redditur eidem motrici minus obediens, ut ratione utriusque pulsatio potius diminuta subsequatur. Si uero cor motui resistat ratione materiæ ipsum in tumorẽ agentis, uel obstruentis. Tunc materia hęc quęcunque sit, quatenus alterat, & peruertit usum, deprauatam efficit motionem, ut in ser. de causis apparebit, prout uero in instrumentum agit, & cor affligit, pulsationem potius remissam producit. Quare prima principalisque causa huius motus deprauati est ipse usus. Quem diximus esse (auctum) ad differentiam motus pręter naturam cordis, sed remissi, & imminuti, qui usũ diminutũ comitari solet. Addidimus (præter naturam) ut excludatur usus augumentum, quod fit ratione ętatis temporis anni, & ambientis calidioris exercitij moderati, animi affectuum nuturæ limites nõ excedentium, & intemperiei adfititiæ, intra latitudinem sanitatis contentæ. demum dictum fuit (stimulati) referendo stimulũ non ad facultatem pulsificam, sed ad cor; vt innuatur. progressus, & ordo productionis huius praui motus. Nam primo necesse est vt adsit vsus, tanquã causa stimulans, quæ primo sentitur ab ipso corde secundum facultatem tactiuam, & hoc tẽpore mouetur attractrix, uel expultrix, deinde cor, vt diximus stimulatum, pulsificam facultatem, ad pulsandum impellit. incitata facultas cor ipsum præter naturam mouet. Ex quibus conspicuum est motum hunc esse solius naturæ ad differentiam palpitationis, & conuulsionis exquisitæ, quarum motus est solius morbi, & tremoris, cuius motus mixtus est ex

motu

motu naturæ, & morbi. Insuper ex huius vitij natura declarata liquido constat quā sit absurda Altimaris sentētia, qui quāuis in affectuum nominibus explicandis, magis quàm in ipsorum essentia perscrutanda sit solicitus, attamen hac vice ab ipsa nomenclatura fuit delusus. Is enim alium prauum motum in corde non potuit intellectu concipere præter palpitationem exquisitam, in qua cor (inquit ipse) ad vtrium similitudinem (o ineffabilem absurditatem) à materia flatuosa distenditur, & dillatatur, dum ab ea repletur. & constringitur dum ea euacuatur; Quæ quidem opinio cum sit uiri nostra tempestate doctissimi, & in euoluendis græcorum scripturis accuratissimi: & Galeni auctoritate fulciatur (nam. 5. de locis affectis secundo appellat Galenus prauum cordis motum palpitationem, inquiens attenuantibus, quia flatus discutiunt, curari: & secundo de symptomatum causis, secundo loquens de legitima palpitatione, quæ fit a flatu crasso asserit & ipsum cor huic esse obnoxium) qua postea auctoritate fretus Altimarus, Auicennam & Arabes, qui nomine tremoris vtuntur, male carpit. Idcirco ut tueatur Auicennas qui in morbis cordis enucleandis fuit omnium diligentissimus, & vt veritas magis elucescat, insimulque ad obscurissimos cordis affectus dignoscendos præuia quædam dispositio non inutilis tradatur, liceat præter intentum & consuetudinem falsitatem hanc, argumentis à rei natura desumptis, refellere. Si a flatu crasso vera palpitatio in corde generatur, necesse est vt vel in eius substantia, vel ventriculis promoueatur; sed in cordis substantia oriri non potest, quia præter id quod densissima est & separationem a flatu non admittens, est adeo calida, vt in ea flatus nec generari, nec conseruari possint, ergo fiet in ventriculis, & proinde, vel in dextro, vel in sinistro, sed non in dextro, quia sequeretur, quod duplex cordis pulsatio persentiretur vna secundum naturam in sinistro ventriculo, & altera præter naturam in dextero: Hoc autem repugnat experientiæ: nam semper vnica pulsatio percipitur, & tantummodo in parte sinistra, etiam si cor in Thoracis medio sit locatum. Si vero fiat in sinistro ventriculo, cum flatus præsertim crassus in eo propter nimiā caliditatē generari nō possit (is. n. in ventriculo in intestinis, in iecore frigido, & alijs

partibus

Auicenna

foramina Septi.

partibus frigidis generatur) ergo aliũde in eo trãſmittitur, & cũ triplex tantũmodo ſit uia, de neceſsitate uel per dextrum uentriculum, hoc eſt per formina illa obliqua, quæ in pariete cordis uentris diuidente, reperiuntur, in ſiniſtrum uentrem deriuatur; uel per arteriam uenalem, uel per arteriam magnã. Sed per dextrum uẽtriculum & per foramina illa non poteſt transſmitti, quoniã in longo trãſitu per loca adeò calida et anguſta, uel diſſolueretur, uel attenuaretur; & quomodocũque non fieret exquiſita palpitatio, minus poſsibile eſt vt per arteriam uenalem tranſmittatur; quia ſi in pulmone tanta flatuũ multitudo inueniretur, ut in tanta copia mitteretur ad cor neceſſario coniungeretur orthopnea, & ſuffocatio, quod falſum eſt, nam ęgrotantes & decumbere, & deambulare poſſunt. Adhuc minus poteſt ingredi per magnam arteriam propter oſtiola, quæ ſunt in eius principio, quæ ſolum in cordis ſyſtole, & ab intra ad extra cor aperiuntur. prętetea ſi per ipſum ſiniſtrũ uentrem ingreditur flatus in dyaſtole, cur ſubinde in ſyſtole, per eandem arteriam magnam, uel aliqua ex parte per arteriam uenalem unà cum excrementis fuliginoſis non expellitur? Addo impoſſibile eſſe ut in arterijs tanta flatus copia gignatur (non abolito earum pulſu) ut ad cor in tanta copia trãſmittatur, ut ad utrium ſimilitudinem diſtendatur. aliunde uero in arterijs non poteſt flatus craſſus deriuari cum earum tunicæ adeò denſæ ſint ut uix ſpirituoſa, & tenuiſſima ſubſtantia extra dimanare poſſit. ſecundo non eſt rationabile ut pars omninim principaliſsima, & robuſtiſsima tanta flatuum copia repleatur, ut ad inſtar utrium diſtendatur, cum præcipuè ratione inſignis nobilitatis adeo à natura tueatur, ut perpetuò in morbis qui terminantur ad mortem ultimo loco ſuccumbat. Tertio ſi prauus hic motus eſſet motus ſolius morbi, ergo naturalis cordis motus pænitus aboleretur, & ex cõſequẽti innatus calor omnino deficeret, & ob id præſertim, quia ſi cordis uentres flatu craſſo implerentur. quì fieri poſſet, ut uitales ſpiritus non ſuffocarentur, ſyncopeque & mors nõ irreperet ueluti dũ ſpiritus animales in cerebri uẽtriculis à flatibus obruũtur, ſtatim ſequitur ępilepſia, uel ſimilis affectus animalem functionem omnino auferens. Quarto inquit Altimarus ex mente Galeni in palpitatione motum euadere tardum

Gale. 2. de ſympt. ca. c. 2. in fin.

&ra-

& rarum, attamen plerique fuere adinuenti, qui in ætate quinquaginta annos excedente, ratione materię flatuosæ fuere hoc motu de prauato correpti (nam sicuti propter perpessam frigiditatem, & cibaria frigida, flatuosaque in eum inciderunt, ita in uirtute calefacientium, attenuantium, & flatus discutientium fuere curati, & nonnunquam ab eo præseruati) in quibus pulsus, & cordis motus semper tum uelox tum ualde freqüens fuit deprehensus. Nec ualent Galeni auctoritates in contrarium adductæ. nam dum inquit, Quinto de locis affectis. hos attenuantibus fuisse curatos, hoc cōcedendum est, sed nō probat dari palpitationem exquisitam in corde. immo ex eodem capite oppositum omnino, colligitur, & primo cū palpitatio legitima fiat a flatu crasso, talis materia non est apta in iuuenibus, & adultis multiplicari. Secundo ex eodem semper hæc affectio fuit mittigata & frequenter curata sanguinis missione; at sanguinis missio est in causa, ut flatus crassiores, copiosiores, & magis impetentes euadant. Tertio materia flatuosa nō est apta parere febres acutas, eorum autem qui hoc affectu laborarunt plerique per febres acutas perire. Quod si à Galeno appellatur palpitatio, hoc factum fuit ratione similitudinis in forma: quia sicuti palpitatio est motus compositus ex dillatatione, & constrictione, siue elleuatione, & depressione, ita affectus hic ex iisdem constituitur. Sed dicent isti qui sequuntur Altimarum Galenus secundo de sympt. causis loquens de palpitatione exquisita asserit in arteriis, & in corde fieri posse. Possumus respondere has partes posse dupliciter considerari, vel ut sunt cauitate, donatæ, & vt dilatari cōstringique possunt; & hoc modo ex parte palpitationis nō repugnat vt in arteriis, & corde posit oriri ad differentiam ossium, cartilaginum, & neruorum: uel possunt considerari in quantum calidissimæ sunt, & vt sunt receptacula caloris innati, & influentis & densitate prædite, & prout naturaliter dilatantur, & constringuntur, & hoc modo legitimam palpitationem admittere minimè quæunt. Et hoc innuit Galenus arterias & cor vltimo loco proponens, & inquiens, non (fieri) sed (videtur fieri) quasi dixerit videtur ratione cauitatis earum posse fieri. Sed propter causas allatas non fit in eis palpi
„ tatio. Nam vt idem asserit, partes vera palpitatione palpitātes mouen-

Gale. 5. de loc. cit.

Gale. 2. de sympt. ca. c. 2.

mouentur à re præter naturam, non à natura, quia sequere-,, tur, quod semper & præcipuè dum sanæ essent palpitarent:,, ergo quæ naturaliter dilatantur,& constringuntur. & semper,, & præsertim dum sanæ sunt, non possunt,absque propria destructione à re præter naturā cōstringi & dillatari. Tādem huius veritatis clarissimū hēmus Galeni testimoniū 6. de plac. dum habet hęc formalia uerba.ex corde (non inquit ex flatu).,, quidem est etiam,quę ex palpitatione fit motio, non tamen,, secundū naturam,& paulo infra loquens de cordis pulsu quocunque modo exturbato à naturali constitutione ait. Nam,, quamuis in eiusmodi pulsibus cor ex se ipso moueatur, se-,, cundum naturam tamen nō mouetur potest ne conceptus ali,, quis auctoritasùe,quæ nobis magis Galeni mentem aperiat, excogitari? simili modo facillimum est Auicēnam & Arabes à calumnia uindicare. Propterea quod appellarunt hūc motum tremorem respiciendo ad similitudinem nō in forma (quam respexit Galenus) sed in causa effectiua. nam sicuti tremor fit à natura,& morbo; ita prauus hic motus fit à natura, quæ monet cor,& à causa morbosa, quæ naturam stimulat, & impellit. Nam motus hic, inquantum motus, à natura dependet, inquantum prauus, innordinatus,& uiolentus dependet à causa morbosa, quæ cogit naturam deprauatè & inordinatè mouere. Vt ideo maiorem habeat cum tremore quàm cum palpitatione rōne causę efficientis, cōuenientiā. Sed maiorē adhuc cū rigore cōcutiente similitudinem habet. quia in hoc motus est celer frequēs,& solius naturæ, sed à causa præter naturam irritatę, sicuti etiam in pulsatione deprauata cordis cōtingit. ex eo tamen differunt, quia rigor est motus solius expultricis: pulsatio autem deprauata est motus potissimum uirtutis pulsatilis.

Gale. 6. de Plac. ca. 2. ante medium.

moueatur ab ...

motus inord... natus.

Deprauatæ pulsationis causæ proximæ. *Cap. IIII.*

AT uero usus à quo cor stimulatur duplici modo præter naturam augeri potest, uel p incrementū usus secundū naturam, ratione cuius intensionem accipiens præter naturā euadit, uel p cōplicationem, seu additamentum usus non naturalis ad usum secundum naturam. Si in usu fiat augumen-

tum

tũ primo modo. Tunc vel ſpiritus uitalis, & humores cordis, in quibus calor uitalis conſiſtit uehementer, &(ad differentiam quotidiani & naturalis defectus) præter naturam deficiunt ; & tunc temporis cor, cum ab ijs ſuæ proprietates, uirtutesq; uiuificentur, conſeruenturque, ipſos pulſu reſarcire conatur . Vel cordis naturalis caliditas intenditur, & in extraneã abit, quam pulſatione refrigerare poſtulat. Quod ſi in uſu fiat augumentum præter naturam ſecundo modo hoc fit ab aliena ſubſtantia, à qua cor irritatum ipſam tanquam noxiam procul expellere conatur, & ob id prauo & concitato motu mouetur. Tres igitur ſunt (ſi de cauſis præter naturam, non autẽ de pulſatili uirtute, quę naturalis eſt, ſermo fiat huius uicij immediatę principalesque cauſę, ad quas cęterę omnes de neceſſitate redducuntur : nempe ſpirituum uitalium defectus, caliditas extranea, nec non aliena ſubſtantia . Quarum prima eſt affectus priuatiuus; ſecunda poſitiuus, ſed qualitatis; tertia poſitiuus ſubſtantiæ, à quibus pulſatilis cordis facultas ſemper per medium ſenſum tactus ſtimulatur. Sed à prima cauſa excitatur attractrix. & dyaſtoles: à tertia expultrix ſyſtolesque, à ſecunda utręque facultates impelluntur. Proinde a prima cauſa cor primario ad dyaſtolem impellitur . a Tertia primario ad ſyſtolem ; à ſecunda ad utramque ſtimulatur, ſed magis ad dyaſtolem ; nam etſi utraque ſemper concurrat, (quia ſunt motus oppoſiti ſucceſſiue ſeipſos excipientes, quorum unus, non præcedente altero, fieri non poteſt)attamen à ſpirituum defectu cor principaliter exercetur ſecundum dyaſtolem, nam dum defectum hunc merito ſenſus tactus per mediam ſiccitatem , & frigiditatem ex ſpiritibus deficientibus ſubortam , perſentit , ſtatim dyaſtole , & alimenti attractrice deficientes ſpiritus reſtaurare conatur . ab aliena ſubſtantia cor prencipaliter mouetur ſecundum ſyſtolẽ . à calore autem ſuper aucto ad utramque ſtimulatur, quia caliditas extranea, ut refrigerari poſtulat, impellit ad dyaſtolem, in quantum cordis ſubſtantiam acuta qualitate, & acredine ferit, (quod præſertim contingit dum caliditas eſt inæqualis quę aliquo modo dolorifica eſt) cor impellit ad ſyſtolem, in uirtute cuius ipſam tanquam moleſtam à ſe expellere tentat. magis tamen ſtimulatur, ſecundum dyaſtolem, quia à refrigerio per ipſam at-

[Margin, handwritten: Aliena substantia]
[Margin, handwritten: tres causae]
[Margin: Gal. lib. de inæquali in temp.]

tracto præcipuè remittitur. Quæ omnia intelligenda sunt dū suprascriptę causę simplices & impermixtę concurrunt. Nam si fuerint complexę, uel uim cōplexam retinētes, mixtæ quoque affectiones, & stimulationes erunt, ut inferius apparebit.

Dubitatio Cum igitur omnes praui cordis motus causę, quot quot sunt, ad tres principales iam dictas de necessitate redigantur. ideo antequam ipsas sigillatim enumeremus liceat quandam ambiguitatem notatu dignam circa spirituum deffectum è medio tollere. Nam aliquis dubitare posset an pulsatio deprauata propter spirituum defectum possit oriri. hoc fundamento. nā deficiente spiritu deficit quoque calor; ideo quanto augeri deberet dyastoles propter incrementum usus alliciendi sanguinem tenuem pro spirituum reparatione, tanto deberet imminui propter usum imminutum refrigerandi calorem. hi enim usus ab eodem absoluuntur motu, nempe à cordis dyastole. si enim alter eorum à dyastole absolueretur, alter autem a systole: Tum proculdubio pulsus frequentia ratione spirituum defectus magis rationabiliter insurgeret. Ad hæc, deficiente spiritu labefactatur facultas pulsatilis, quæ spiritu caloreque pro instrumēto utitur: hac uero debili existente pulsum protinus paruum, & tardum edit: at hæ pulsuum differētiæ ad pulsatilem functionem imminutam, ut dictum est, reducēdæ sunt; & hoc eo magis, quo uirtus debilis reddita propter spirituum deffectum, quamuis magnitudinem, & uelocitatem pulsus præstare non possit; non ob id tamen frequentiā ueluti minus laboriosam amplectitur, quæ sit alicuius momēti; quia quemadmodum in dyastole nulla facta fuit usus immutatio, ut dictum est, ita in systole usus est satis remissus, nā ubi imminuitur calor, imminuitur quoque excrementi fulginosi productio, multiplicatioque simili modo spiritu, & influente calore cōminuto, is singulis corporis partibus nō amplius, sicuti prius, communicatur. nam cor uiscus, nobilissimū & omnium neccessarijssimum, & insuper spiritus calorisque productiuum, illum pro sui conseruarione in idonea quātitate retinet. quod eo facilius accidit, quo spiritus omnis fere, & calor influens in ipsum cor, tanquam in familiarem sibi locū, & suæ generationis, conseruationisque principium & sedem, à qualitate cordis calori fica, & sibi consentanea proprietate

tractus,

tractus,& illectus illabitur. Verum dubitatio, statim tollitur, si tria recte perpendantur, quorum primũ est spirituum creationis, summa necessitas, q̃ necessitati caloris refrigerãdi præpolet. nisi enim spiritus,& calor prius procrearẽtur, frustra caloris refrigerium desideraretur. quo fit, ut quamuis in uirtute dyastoles sanguis tenuis pro spirituum generatione & aer frigidus pro caloris refrigerio alliciatur, attamen defficiente spiritu, & subinde calore ipso, magis increscat neccessitas regenerandi spiritus, quam imminuatur, usus euentandi calorem. Quare deficiente spiritu usus dyastoles debet intendi. Secundum est materia ex qua spiritus producuntur, quæ cũ ex Galeno locis toties citatis, sit sanguis tenuis et aer, ideo non minus dyastoles pro aereæ substãtiæ quam pro sanguineæ attractione incrementum suscipit. Tertium quod adhuc est maioris momenti, consistit in hoc. ex spirituum defectu uirtus redditur imbecilla hinc pulsus priorem,& magnitudinem, & celeritatem deponit, unde ut tanti usus auctæ necessitati opem ferat, cogitur facultas crebritate ipsa (quæ facilima est) ne dũ auctæ necessitati, uerùm etiam magnitudini & celeritati deperditæ, satisfacere. Patet igitur ex spirituum defectu pulsationem potius frequentem, & proinde deprauatam suboriri. Hoc autem (ne ulla prorsus relinquatur occasio dubitandi) intelligendum est de spirituum defectu, non tamen adeo immodico ut fiat syncope, uel lypothimia, sed dum deficiunt spiritus citra syncopem, quia ut infra apparebit dum spiritus adeo immoderate deficiunt, ut fiant lipothymia uel syncope. Tunc pulsatio non deprauata, sed omnino imminuta euadit. „ quod cognoscens Galenus dicebat defectus caloris natiui „ familiares pulsus sunt paruus & tardus præcipuè, mox e- „ tiam rarus, addit (mox) quia in principio dum spiritus, & calor defficiunt, pulsus fit potius creber: ubi uero ad sumũ defectum peruenerit fit rarus: qui quidẽ ordo mutationis præsertim contingit, dum calor natiuus, & spiritus non sensim, sed confestim deficiunt. cur autem in syncope paruus, tardus,& rarus euadat in proprio sermone de syncope declarabitur. Insuper aliquis posset ambigere an præter tres proppositas, detur quarta deprauarę pulsationis causa, nempe immoderata caloris influentis distributio. nã sicuti quattuor sunt pul-

Solutio.

necessitas resiciendi spiritus prior quam refrigerandi calo[re]

Gale. 1. de cauſ. pulſ. c. 6.

ſatilis functionis uſus præcipui, nempe alimenti pro ſpiritibus reparãdis attractio, quæ deprauatur a ſpirituum defectu, attractio frigidi quæ ab extranea intenditur caliditate, & fuliginoſorum, excrementorũ, expulſio, quæ ab aliena ſubſtantia cor inuadẽte, & ueluti excremẽti uim ſuſcipiente peruertitur ita ab immodica ſpirituũm, & caloris expanſione, quæ fit in ira, & gaudio (dum hæc immoderata ſunt) influentis caloris

Solutio.

diſtributio quoddammodo deprauari debet. Propterea animaduertendum irã, & gaudium, ſimilesque animæ affectus, uel eſſe ſecundum naturam & moderatos, & tunc non fit pulſus deprauatus, qui ſit ex uſu, neque præter naturam: uel eſſe immoderatos, & præter naturam, & tunc, ab ira immodica, extranea caliditas excitatur, ab ingenti autem gaudio, & naturæ leges egrediente ſpiritus diſſipatur, & deficit, eodẽ modo dolor pulſationem nõ deprauat, niſi ſit admodum intenſus acerbusque quod ubi contingit ſpiritus diſſoluit de neceſſitate, ut infra apparebit, & ſimiliter ſpirituum defectus ſubſequitur. Conſtitutum igitur ſit pulſationis deprauatæ immediatas, principaliſque cauſas tres eſſe tantummodo iam relatas, Videlicet ſpirituum defectum caliditatem extraneam, alienamq́ue ſubſtantiam cauſę autem ui quarum ſpiritus deficiunt, ſunt ueluti euacuatio ſenſibilis, inſenſibilis, dolor uehemens, fortis meſtitia, immodica inedia, & huiuſcemodi aliæ, quæ in tractatu de ſyncope, tanquam in præcipuo, & proprio magis loco, & dilligentiſſime, & methodice proponentur. nam, ut in hoc capite dictum fuit, a ſpirituum defectu pulſatio, quæ nomen legitimum deprauatæ promereatur non producitur, cum etſi ratione crebritatis deprauetur, attamen ratione paruitatis, & tarditatis potius imminuatur. ab his igitur cauſis dum cor ſpiritibus priuatur ipſos reſarcire cupiẽs frequenti pulſu monetur. & tunc leditur cor per conſenſum, qui ab Auicen. priuatiuus appellatur. Iam uero caliditas extranea poteſt eſſe æqualis, inæqualis, ſeu acuratius loquendo, ſimilis, uel diſſimli s: & poteſt eſſe febrilis, ſiue ſit in ſpiritibus, ſiue in humoribus, ſiue in ſolida cordis ſubſtantia: & non febrilis ut in ira, & in uehemẽti corporis motu accidit. ratione quorum præſertim. in ſpiritibus cordis calor accẽditur; dictum eſt præcipuè in ſpiritibus calorem intendi, quia

Spirituũ defectus.

Caliditas extranea.

Galc. 6. de Plac. c. 5. & 8. de Plac. 1. & 9.

dum ira

dum ira exempli gratia, perdurat, potest etiam in humoribus, & in solida substantia extraneã caliditatem accendere. & si caliditas hæc sit permanens, & auxilium indicans, cor essentialiter leditur: secus aũt si nõ sit permanens. Aliena uero substantia põt esse solida humorosa, & vaporosa. Solida ut instrumentum pungens, incidens, rumpens, contundens. Si sit humorosa, ab hac interdum cor secundum propriam substantiam distenditur, & inflammatur, interdum secundum proprium pãniculum, & tunicam, quæ uocatur pericardion: nonnunquam vero citra inflammationem, & tumorem lacessitur. Si afficiatur tumore, uel inflammatione seccundum propriam substantiam id potest fieri à quolibet succo præcipuè tamen bilioso, & sanguineo, & hæc inflammatio potest esse uel simplex, uel mixta cum soluta unitate, cui (quamprimum impartitur cordi) statim subsequitur inflammatio. Si uerò à materia excitetur tumor in pericardio, seu penniculo cor ambiente solet esse frigidus, ut hydatis (sicuti docet Gal.) sed potissimum scirrhus. A materia autem humorosa citra inflammationem lacessitur, dum uel ab eius uiciosa qualitate irritatur, uel ab eius mole, copiaque premitur: uel utroque modo læditur. A uiciosa qualitate irritatur, dum petit cor humor aliquis uenenosus, putridus, uel corruptus, uel caliditate peccans (dũmõ caliditas sit intẽsior caliditate naturali cordis) uel potissimum caliditate, & siccitate molestus, ut est humor acer, biliosus, uel etiam frigiditate, & siccitate infensus: qualis est humor melancholicus, qui præter manifestas qualitates, ipsi uitæ, quę in calido, & humido consistit, inimicas, ratione tenebrositatis spiritibus uitalibus, & cordi est ualde contrarius. Si uerò materia humorosa mole, & copia cor premat, tunc uel est in ipso corde, ut dum à sanguine ex uulnere sibi inflicto copiosè prodeunte comprimitur, uel ei ab extra communicatur, & tunc uel est in toto, ut in uehementi plethora, plenitudineque potissimum, quo ad uires, & etiam in hyposarca euenire solet, nec non in nimio, & repentino timore, ui cuius sanguis adeo uehementer ad cor retrahitur, ut ab eo interdum suffocetur: uel est in pericardio, dum scilicet humiditas illa aquosa adeò augetur, ut cor probè dilatari non possit. hinc fit ut illegitimę palpitationis causam omnem antiqui, uel in sanguinis exuberantiam,

Aliena substantia.

Causę quę nunc enumerantur omnes colliguntur a Gal. in lib. de ca. pul. & 5. đ loc. affect. c. 2. & potissimum ab Aui. lib. 3. F. 11. T. 2. cap. 1.

Gale. 5. de loc. c. 2.

Gale. 5. de loc. 2.

D'mole materie cor prementē.

suffocatio.

sanguinis exuberantia

rantiam,uel in humorem copiosiorem pericardio insixum,re tulerint: uel est in uasis pulmonum, præcipuèque in leuibus arteriis, quæ sunt prope cor, in quibus solet materia frigida aggregari,quæ potissimum copia cor fatigat,& in prauum mo tum impellit.Si uerò cor ab eius qualitate,& quantitate læda tur:potest similiter prodire uel à toto,ut dum in febribus pręsertim mortiferis humores impetuose feruntur in cor per ue nam cauam:uel à parte ut dum apostemata pulmonis, aut par tium uicinarum in cor permutantur per arteriam uenalem: nam per arteriam magnam, & uenam arterialem difficillime materia corpulenta cordi cõmunicatur propter ostiola,quę ab intra ad extra aperiuntur in cordis depressione. Si verò materia,& aliena substantia sit uaporosa,& ipsa uel praua qualitate cor ferit,uel nimia copia ipsum grauat, uel utroque modo afficit,si qualitate feriat, qualitas est,uel occulta, uel manifesta. si occulta,uel ꝓdit à cã externa,ut a uenenis assumptis, applicitis,& morsib. ferarũ, ab aere corrupto; uel interna, & tunc põt prodire uel a toto utin febre pestilẽti,uel a parte, ut a uermibus putridis, ab apostemate alicuius partis dũ permutatur de bono ad malũ,& adeo prauũ redditur, ut naturã cordis ꝓprietati aduersariã acquirat.idẽ dicẽdũ de alia parte maligno humore scatẽte,præcipue dum ab eo ingẽti dolore cruciatur, siue sit uentriculus, siue uterus,uel aliud membrum quodcũque sit,nã a parte maligno humore,& præsertim dolore cruciata potest uapor malignus, & uirulentus,segregari,& cordi per venas & arterias communicari. Si verò qualitas sit manifesta,vel est prima,vel secunda. si sit prima potest esse calida tantum,calida, & humida (dummodo caliditas sit dissimilis) calida,& sicca potissimum, siue sit excremẽtum fulginosnm, siue vapor biliosus,& frigida & sicca,qualis est vapor qui prodit à uapore melancholico,& atribilari, qui à proprietate, ut dictum est accedit ad naturam veneficam. A uapore autem frigido tantum, humido tantum, & sicco tantum, vel etiam calido tantum caliditate simili,vel remissa nõ potest fieti pulsatio deprauata, nisi sui copia sit molestus. Si qualltas sit secunda potest esse putredo. vt dum putridæ fuligines, & putridi vapores in febribus putridis cor inuadunt. hinc patet cur in crisibus propter vapores, qui a putrida materia eleuantur

tur

tur ſolet etiam fieri cordis palpitatio. Si verò materia vaporoſa ſui copia tantummodo cordi ſit moleſta, neceſſe eſt, ut acute & intenſæ qualitatis ſit expers. Secus ſi quantitate, & qualiaate agat in cor. Ab hac autem aliena ſubſtantia dum conſtituit morbum in corde, vel in corde generatur, ſiue humoroſa ſit, ſiue vaporoſa, ut euenit in febre peſtilenti, cor eſſentialiter læditur. Si verò aliundè proueniat, quod, vt plurimum fit, læditur per conſenſum, & vt dictum eſt poteſt cordi communicari vel à toto, vel à parte, vt à cerebro non ſolum per venas, & arterias, verum etiam per medium ventriculum. ita à ventriculo, & a reliquis partibus, quæ ſunt in ventre inferiori, à pulmonum arterijs, ab arterijs etiam, & venis cordi famulantibus, dum vel afficiuntur aneuriſmate, quæ fit à ſanguine arterioſo, vel venoſo; vel obſtruuntur;
„ vnde dicebat Auicenna anguſtiam poſſe eſſe in curſibus ſpi- Auic. loco citato.
„ ritus, vel ſanguinis; & interdum à retorrida bile, quæ ſpontè vacuari conſueuerat in arterias effuſa orta fuit earum obſtructio, à materia verò dilatante, vel anguſtante vapores cor ferientes eleuantur. Sæpe autem læditut per conſenſum à bile peraſſata in præcordijs, & potisſimum in liene congeſta. Vnde ex dictis patet in hunc motum prauum valde propenſos eſſe melancholicos, & inter hos præcipuè flatuoſa, ſeu hypochondriaca laborantes, potiſſimum dum lien bilis atræ copia turgeſcit. nam ex eo per arterias, quæ in ipſo copioſisſimæ ſunt, facilè teter vapor in cor defertur, et non ſolum ob rationem asſignatam, verum etiam propter ſitum cordi vicinum, propter latitudinem, & rectitudinem viarum, & propter materiæ aduſtæ, vaporoſæ, & ignitæ ad motum ſurſum propenſionem. Sed dicet quis cur in omnibus hypochondriacis hic affectùs non oritur? Reſpondet ad hoc Galenus inquiens, non ſemper adeſſe conditiones requiſitas. nam ſi affectio debeat ab aliquo agente alicui paſſo communicari requiritur vis agentis, affectus magnitudo, tempus idoneum, propinquitas, & paſsi diſpoſitio; erit autem paſſum diſpoſitum, ſi non ſolum ſit aptum pati à tali agente, verum etiam ſit debile. (Sed de cauſis diſponentibus inferius loquemur) quare cum ſemper non adſint conditiones enumeratæ, non eſt mirum ſi non ſemper paſsio cordi communicatur,

Dubitatio
Solutio.
Gal. lib. de cau. morb. c. 2.

Prauæ

Prauæ pulsationis Causæ Remotæ *Cap. V.*

ET hæ ſunt cauſæ proximæ cor in hunc prauum motum impellétes. Remotę uerò, ut eæ, quę materias iam dictas multiplicant patent ex alibi traditis, ſiue ſint generantes, ut intemperies, malus uictus: ſiue colligentes, ut ætas declinans, membrum abſciſſum, expultricis debilitas, conſuetæ euacuationis ſuppreſſio, & exercicij intermiſſio, quæ ualde periculoſa eſt. Quibus addendæ ſunt cauſæ diſponentes cor ad hunc motum. hæ autem ſunt cordis intemperies, non tamen ægritudinis, ſed ſanitatis quæcunq; ſit, unde per calidam intẽtemperiem facile diſponitur ad prauum motum ex cauſa calida, ut exempli gratia ex ira, per frigidam ex cauſa frigida; & præterea eſt ſenſus exquiſitus, dum ſcilicet cor eſt rarioris cõpagis, & ſtructuræ, & adeptus eſt ſubſtantiam, quę cauſas morbificas faciliter admittit. Denique, ne ulla remaneat ambiguitas circa cauſas impellentes animaduertendum unam, & eandem numero cauſam, prout agit ſecundũ diuerſas uires poſſe interdum duplici, interdum triplici modo cor ſtimulare. exẽpli gratia aliena ſubſtantia ſi calida ſit, et in quantum aliena, & præter naturam, & in quãtum calida cor ſtimulat, & primo modo ad conſtrictionem, ſecundo modo ad dilatationem, ita balneũ, exercitiũ uehemens, tum quia ſpiritibus cor priuant, tum quia calefaciũt pulſatilẽ facultatẽ ad dyaſtolẽ impellũt. Purgatorium autem uehemens, ut verbi gratia elleborum tripliciter agere poteſt, nempe ſpiritus euacuando, calefaciẽdo, & ratione uenenoſitatis irritãdo. idem dicendum, imo magis de potenti ueneno: quod præter iam dicta ſpiritus uitales cor rumpit, & humores cordis putrefacit. Similiter calidum apoſtrema poteſt tum calefacere, tum alienam ſubſtantiam ad cor tranſmittere: tum ratione doloris uehementis ſpiritus diſſipare. Quod ſi fuerit in corde præter ea quæ dicta ſunt, pulſificã uirtutem impedit, & labefactat, unde non eſt mirum, ſi tanta in pulſu uarietas, & inequalitas ipſum ſubſequatur, idẽ obſeruatur, dum in leuibus arterijs, quæ ſunt prope cor, materia excremẽtitia reperitur, nam ab huius mole cor premitur, à uicioſa qualitate irritatur, præſertim quia uapor, & humor ab ea ſegregatus

Auic. li. citato.

Notandũ.

gregatus

gregatus unà cum aere per os attracto poteſt aſſiduo ſiniſtrũ uentriculum inuadere, in quo præſertim uis pulſatilis uiget: denique cum ſpiritus uias magna ex parte obſtruat, ſpiritus uitales cum difficultate regenerantur;& exuſtæ ſpirituum fuligines difficile expurgantur.

Differentiæ Motus praui cordis. *Cap. VI.*

HVius deprauati motus differentiæ, non ſolum a ſuprascriptarũ cauſarũ diuerſitate, uerum etiã ab eius forma, Videlicet mõ, magnitudine, uehemẽtia, & grauitate capiũtur, nã põt eſſe creber, creberrimus, uelox, uelociſsimus, uibratus, nõ uibratus; æqualis, inęqualis inęqualiſſimus: ordinatus, inordinatus, inordinatiſſimus, breuis, diuturnus, intermittens, cõtinuus. Interdum, eſt paruus, inrerdum magnus. Poteſt eſſe debilis, uehemens, uehementisſimus; & interdum adeò uehemens, & concitatus, ut eleuentur tegumenta. Ita poteſt eſſe leuis grauis, grauiſſimus, & interdum tranſit in lipothymiam, & ſyncopem, interdum deſinit in ſudorem totius corporis, uel alui fluxum. nõnunquam facilè perfertur, & poſſunt de ambulare, aliquando coguntur decumbere. Leuis autem appellari debet, qui nullam uel exiguam habet uiolentiã, inæqualitatem, & inordinationem, & paruo tempore durat, & rarò reuertitur. grauior uerò dum hæc grauiora ſunt grauiſſimus ubi grauiſſima, & cũ prauis ſymptomatibus cõnectitur.

Signa Prauæ Cordis Pulſationis. *Cap. VII.*

VTrum uero auferatur, uel uicioſa fiat cordis pulſatio facile cognoſcitur tangendo, & regionem cordis; & pulsũ arteriarum. ex his autem, quæ tradentur in capite de ſyncope facile, erit cognoſcere qua de cauſa pulſus cordis fuerit ablatus. Quòd ſi pulſatio uicioſa euadat, tunc perſentitur in cordis, & arteriarum pulſu receſſus à naturali ſtatu. qui ſi fuerit per remiſſionem, et pulſatio ſit diminuta, pulſus obſeruabitur rarus, tardus, & paruus. Si uero pulſatio à mediocritate recedat per intenſionem, & deprauata fiat, tũc pulſus perpetuò erit creber, nec non uelox, & magnus, ſi facultas debilis nõ ſit:

nam quo magis erit imbecilla, eo magis imminuetur magnitudo, & augebitur frequentia. quod enim in pulsu detrahitur de magnitudine, & uelocitate, id cum frequentia commutatur. Quare crebritas in pulsu erit proprium, & inseparabile deprauatæ pulsationis indicium. Et si deprauetur propter spirituũ defectum hoc facillime deprehenditur nõ solum ex prægressis causis, quæ spiritus corrumpũt: uerum etiam ex eo, quod pulsus creber quidem est, & interdum celer, sed potius paruus ob uirium imbecillitatem. Si uerò id accidat ratione caliditatis extraneæ, facillime etiam cognoscitur ex ignis febris, ex prægressis calefacientibus, & præter crebritatem, & celeritatem in pulsu adest etiam magnitudo, dummodo virtus debilis non sit, vt in Ectica contingere solet. præterea ratione caliditatis motus hic paulatim deprauatur, præcipuè dum oritur à causa interna, & maior est velocitas in dyastole, quàm in systole ad differentiam alienæ substantiæ. Denique ratioue caliditatis extraneæ pulsus est ordinatus potius, & vniformis, non impetuosus, & concitatus, vt in aliena substantia, & si caliditas sit similis, & æqualis, pulsus erit æqualis, si sit dissimilis, erit aliquo modo inæqualis, & si caliditas sit febrilis adsunt signa febris: similiter si sit permanens, vt sit intemperies calida, & morbosa respiratio est frequens, celer, & interdũ magna, expiratio calida est, sitis connectitur, quæ potius mitigatur per aerem inspiratum, quàm per frigidas potiones iuuantur à frigidis, lædũtur à calidis, et si intemperies multum increuerit caliditas partibus similaribus communicatur, vnde corpus extenuatur, & liquescit absque alia causa. Si verò motus cordis deprauetur ab aliena substantia, tunc systole velocior est dyastole, & motus est valdè inæqualis inordinatus secundum plurimum. Et sicuti secundum plurimum subitò fit, ità ferè semper solet esse valde creber, velox, & magnus, vehemens, vibrans, & concitatus. nam ab aliena substantia fit palpitatio illa, de qua Galen. Fernelius, & cæteri recentiores loquuntur. Vnde in hoc malo arteriæ omnes vehementius pulsare solent, & interdum dilatari, præcipuè quæ supra iugulum sunt. præterea ex immodica exercitatione, æstu, balneis, venere, crapula, meraciore vino, & excandescentia symptoma exacerbatur. Quod si aliena substantia fuerit solida

instru-

instrumentum soluens continuum facillimè depræhenditur. & si sit sagitta, vel gladius, ex eo potissimũ, quod in eius summitate externa apparet motus, cordis pulsui proportionatus. Si substantia fuerit humorosa, si constituat tumorem in corde, mirabilis in pulsu erit varietas. Erit enim valde à naturali recedens, ad summum inæqualis, inordinatus, pessimus. Et si fuerit calidus maxima erit inflammatio in toto corpore, sincopes frequens, insignis sitis difficillima respiratio, vt quãuis aerem frigidissimum inspirent, attamen suffocari videantur, & antequam pulsus euadat durus moritur æger. Si tumor fuerit frigidus (quòd raro euenit) hæc omnia Symptomata apparent, sed remissa, & cum aliqua inflatione. Si verò constituat tumorem in tunica cor ambiente, seu pericardio, hic ex eo innotescit, quia motus est continuus, & patiens in dies citra causam euidenter emaciatur; & maior durities in pulsu percipitur in Scirrho, quàm in alio tumore. Quod si substantia humorosa citra inflammationem, vel tumorẽ cor stimulet, distinguitur à materia vaporosa, quia si sit humorosa malum, non ità confertim accedit, & diutius durat, & non ità facilè, nec ità citò extirpatur. Contra si sit vaporosa, malum citò, & facilius discutietur: Et sicut læduntur à multiplicantibus flatum, ita iuuantur à discutientibus, & à calidis extrà applicitis in regione thoracis, & ventriculi, præterea malum est cum pauca grauitate, sed præcipuè cognoscitur materia vaporosa, quia malum ferè in instanti solet oriri, & in instanti cessare. Vt maxima crebitas pulsus, statim in magnam transeat raritatem. Si ergo materia sit humorosa, si qualitate tantummodo stimulet, patientes tantam non per sentiunt grauitatem, nec tantam suffocationem, aut difficultatẽ spirandi, veluti dum copia cor premit, & si qualitas humoris fuerit venenosa maxima erit varietas in pulsu, præcipuè in magnitudine, & paruitate, nam maxima adest pugna, & proinde maxima diuersitas; præterea cum prauo motu adest lipothymia, & interdum syncope: adest suspitio veneni, adsunt signa febris pestilentis, & humoris putridi, corrupti, copiosi. si qualitas sit manifesta, non ità praua succedunt symptomata. Vtrum autem sit sanguis, aut bilis, aut melancholia cognoscitur ex dominio huius, vel illius humoris, & præterea,

lipotimia

quia ſi motus hic ſit ſanguineus, ſtimulatio eſt potius leuis, pulſus erit magnus, velox, leuis & plenus etiam extrà paroxyſmum, reſpiratio magna, & velox, & coitu moderato iuuãtur, quia per ipſum imminuitur ſemen (nam dum in ſuperflua quantitate aggregatur ex eo corrupto mali eleuantur vapores) ſanguis, & ſpiritus clarificantur, euacuatur ſuperfluitas quanti, & caliditas ſuperflua remittitur. Si fiat à bile anhelitus, & pulſus eſt uelox, magnus, & creber, ſed durus, & magis concitatus, & impetuoſus, inflammatio erit vehemens; morbi colerici ſunt familiares, præceſſere calefacientia; & ſiccantia, & coitu, & inædia læduntur. Si fiat à materia melãcholica, aderunt ſigna melancholiæ, & contraria ſignis ſanguinem atteſtantibus, motus erit inordinatiſſimus cum mœſtitia & ſollicitudine, veluti eorum, qui in terra aliena conſtituti ſuorum reminiſcuntur.

Si uerò materia humoroſa copia cor premat ſi ſit in toto adſunt ſigna uehementis plenitudinis de quibus dictum eſt, aut hypoſareæ. ſi ſit in pericardio, patiens teſtabitur ſe detinere cor ueluti in aqua, ac ſi nataret, & dum aquoſitas ualde multiplicatur præſentit manifeſte cor multo humido ſuffocari. ſi ſit in leuibus arterijs pręcedit maxima, & omnimoda inęqualitas in pulſu citra febrem, & ſuffocatio ſubſequitur. Si ſit in Cęteris pulmonis uaſis adeſt difficultas ſpirandi, pręceſſitque copioſa in eos deſtillatio. ſi quantitate, & qualitate cor affligat ſympt. eruntq; grauiſſima cum febribus putridis, cum inflamationibus pulmonum & partium uicinarum, & eos excipit mors. Si uerò aliena ſubſtantia ſit uaporoſa, & ea qualitate, & proprietate occulta, & uenenoſa cor feriat, ſiue perdat à cauſis externis, uel internis, hoc facile cognoſcitur ex ſignis indicantibus ſubſtãtiam uenenoſam, de quibus dictum eſt; ſimiliter facilimum eſt diſtinguere utrum perdeat à uenenis; uel à materia maligna intus genita. Si aũt agat in cor qualitate manifeſta, ſi qualitas ſit prima uapor calid9, calidus, & humidus ex eo cognoſcitur. quia prauus motus eſt ſatis remiſſus non eſt adeo uehemens, & concitatus, quemadmodum dũ uapor eſt calidus, & ſiccus, & præterea in hoc adſunt ſigna bilis, in illo iudicia ſanguinis prædominantis. Præterea dum malũ ſit ab acri uapore calido, & ſicco perſentitur calor in præcordijs

dijs

dijs,solet succedere flux⁹ biliosus,sudor totius,& sæpe ab ira in paroxismum impelluntur.si uapor sit melancholicus adsũt signa melancoliæ, & motus est ualde uehemens, concitatus, & inordinatus,præcipue si ab adusta eleuentur melãcolia : est enim ualde molesta. Si uerò substantia uaporosa lædat qualitate secũda, hoc cognoscitur ex signis febrium putridarum. Quod si quantitate tantummodo cor afficiat,malum non erit ita prauum, immo facile perfertur ab ægrotante,nam parum læditur ex eo, & numquam desinit in lipothymiam, & solet malum oriri propter cibos frigidos flatuosos,& propter perpessam frigiditatem in capite, & pedũ extremitatibus. unde coniungitur frequenter tensio,& dolor uentriculi propter copiam materiæ flatuosæ. Si quantitate et qualitate agat complexa erunt indicia. Quod si ab his causis cor lædatur per essentiam tunc uicium erit frequens,nam perpetuò adest imbecillitas illa,& propensio ad hunc motum, & aderunt signa alicuius morbi in ipso corde siue sit intemperies, siue mala compositio siue soluta unitas;præterea quamuis adsit malum aliquod;aut affectio aliqua in alia parte, attamen cordis malum prius inuasit,& cordis malum erit uehementius quam malũ alterius partis;nee immitabitur malum alterius partis;si lædatur per consensum omnia erunt opposita. Et si afficiatur per consensum à toto adsunt uicia totins,ueluti febris,uehemens plenitudo, leucophlegmatia, uel etiam crisis, qua finita motus sedatur.Idem de euacuatione immoderata, & alijs uitijs totius dicendum est.si lædatur per consensum à parte cognoscitur facillime ex signis indicantibus uicium partis, Verbi gratia si capite percusso succedat uomitus, & deinde fiat tremor eordis indicium est cõsensus à cerebro, sed per medium uentriculum.Ita si quis euadat melãcholicus, uel epilepticus deinde succedat prauus cordis motus hic consensus est à cerebro,ut coniungitur cum corde secundum uenas.Idem dicendum de alijs partibus,quæ cum eo connectuntur secundum uenas, & etiam arterias,siue sit pulmo,sine iecur, aut mesenteriũ, aut lien,ut in hypodrodriaca; siue uterus ut in ipsius præfocatione; siue uẽtriculus ueluti dum post ipsius dolorẽ, post uomitum præcipue mordacioris materiæ, ut bilis eruginosæ succedit cordis tremor.similiter dum motus prauus in Thoracæ

Gale. 2. de loc.affec c. ultimo.

omnibus Visceribus cor est continuum

mediantibus Venis et Arteriis nectitur cum ceteris partibus.

race eſt continuus ſolet eſſe ut plurimum aneurisma, & tũc ſuccedit tremor cordis per conſenſum ab arterijs ipſi famulã tibus. diſtinguitur autem cordis motus prauus ab arteriarum uicioſo motu, quia in hoc dum manu tãgitur pectus perſentitur motus magis in ſuperficie, & nõ ita facile incidunt in ſyncopem: in illo uero motus ex intimo magis procedit. ſimili modo ſi in uaſis cordi famulantibus adſit opillatio adeſt pulſus diuerſiras in magnitudine, & paruitate, in uehementia & debilitate cum priuatione ſignorum repletionis, & ob id diſtinguitur à diuerſitate pulſus ſequentis uirtutis debilitatem: cum uirtus multum debilis nec pulſum magnum, nec uehementem edere poſſit.

Auic. li. 3. F. 11. T. 2. cap. 2.

Signa cauſarum cor ad prauum motum diſponentium. Cap. VIII.

QVantum attinet ad ſigna cauſarum diſponentium. ſi cor in ſe habuerit cauſas diſponentes ab leuem cãm prauo motu afficietur, ſin minus neceſſe erit ut uehemẽs cã occurrat. & ſi fuerit diſpoſitum ab ſenſum exquiſitum indifferenter læditur à cauſis tum calefacientibus, tũ refrigerã tib. & fiet tremor à qualibet uentoſitate, & quacunq; cã facili, præterea pulſus eſt uehemens, magnus, anhelitus incolumis & totum corpus robuſtum (dummodo non ſit nocumentum in cerebro & neruis) & quamuis tremor ſit frequens, & antiquus, attamen virtus, & corporis fortitudo fuit conſeruata. & conſuetudo in operationibus ſana eſt: & in facie iſtorum apparent veſtigia paſſionum animalium, quamuis parua; vt iræ, gaudij, triſtitiæ; iſta autem paſſionum animalium veſtigia ſunt mutatio coloris ex rubeo in palidum, & è conuerſo. ſi vero fuerit diſpoſitum ob intemperiem totũ corpus eſt potius imbecile; & vires facile reſoluuntur, ſine cauſa primitiua, pulſus eſt debilis, potius inæqualis, & inordinatus; et ſi præter tremorem facile incidant in ſincopim eſt ſignum manifeſtũ intẽperiei cordis, ſicuti corporis fortitudo ſignificat cordis, optimũ tẽperamẽtum, & ſpirituũ multitudinẽ. Signa vero indicantia particularẽ cordis intemperiem ex

Auic. loco citato.

Auicenna

Auicenna & Galeno desumuntur ab his, quæ pertinent ad animam, vel ad corpus. si hauriantur ab his, quæ pertinent ad animam capiuntur ab eius actionibus quæ possunt emergere à facultate animosa;& irascibili, vt sunt animi mores, à pulsifica, ut est pulsus cordis, & arteriarum, à facultate motiua, ut est respiratio, & sensitiua, ut sunt meditationes. si capiãtur ab attinentibus ad corpus tunc capiuntur ab eius quantitate. qualitate & habitu, à quãtitate, ut à Thoracis magnitudine, à qualitate quæ potest esse, uel de prima specie, ut à dispositione ad morbos similes, uel de secunda specie, ut à potentia, uel impotentia facile patiendi, ut à molitiæ, & duricie corporis, uel de tertia specie, ut à passibili qualitate, caliditate, vc; , uel frigiditate. ab habitu uero, ut à pilis, qui in pectore nascuntur; uel à pectoris glabricie. Itaque si intemperies fuerit calida significabitur ex uehementia ire; audacia, & si caliditas multum excesserit ex irę percipitatione, & furibunda temeritate. præterea indicabitur caliditas ex promptitudine ad operationes, spei amplitudine, & gaudio. ex naturali pulsus magnitudine, nec non frequentia, & velocitate;& ex simili respiratione, quæ ut testatur Galenus propria & inseparabilia sunt caliditatis indicia. ex meditationibus bonis; ex pectoris amplitudine dummodo caput mediocritatem non excedat. & præsertim si fuerit paruum. fit enim tũc proprijssimum caliditatis indicium, vt ait Galenus. ex totius corporis caliditate sensata, dummodo epar sui frigiditate non obsistat. & ex caliditate à patiente in ipso corde sensata; & procliuitate ad morbos calidos:& ex vbertate pilorum in pectore & partibus hypodrondrijs proximioribus, dummodo superflua humiditas alterius membri ætas, regio, vel aer non repugnet. Si vero intemperies sit frigida omnia sunt apposita. Ideo indicatur ex timiditate, mœstitia, nimia pietate, tarditate ad operationes, ex patientia non acquisita ratione consuetudinis, et exercitij; ex moribus similibus moribus mulierum cum erubescentia, & hesitatione, & hebetudine;& passione à minimis rebus. ex pulsu paruo, & vt plurimum tardo, & raro? ex simili respiratione, potissimum si Thorax amplus fuerit. ex tristibus meditationibus. ex Thoracis paruitate, & strictura absque capitis paruitate. ex inclinatione ad morbos frigidos, ex corporis frigiditate, & eiusdẽ

sensa-

Auic. loc. citat.
Gal. lib. artis medic. à cap. 29. usque ad cap. 37. exclusiuè.

Signa intẽperiei calidę.
Gal. li. art. med. c. 29.

Signa frigidæ intẽperiei.
Gal. li. art. med. c. 30.

ſenſatione in corde. & ex Thoracis glabricie, quæ ob alias cauſas iam dictas non proueniat, ut à nimia humiditate complexionis, aere, & alijs. ſi fuerit humida cognoſcitur ex mollitie pulſus, & cutis totius corporis, dummodo epar non reſiſtat, ex uelocitate patiendi à ſuperuenientibus rebus ſiue iracūdis, ſiue lætis, & ex uelocitate remouendi ab eis, ideo ſunt ad iram procliues, ſed talem (inquit Galenus) quæ facile ſedari poſſit. ita cognoſcitur ex eo, quod facile, & indifferēter patiuntur à cauſis tum calidis. tum frigidis. contra intemperiem ſiccam indicant pulſus duricies. & ſiccitas totius corporis ſi non reſiſtat iecur: & ira non prompta quidem, ſed fera, et quæ non facile ſedatur, & lupinoſitas morum dicebat Auicennas & difficultas, & tarditas patiendi: & tarditas tum agendi, tum quieſcendi. Si intemperies ſit complexa ſigna erunt complexa; Vnde calidam, & ſiccam intemperiem indicant pulſus uelox, frequens, & in magnitudine mediocris, quia etiam ſi maxima adſit necceſſitas, tamen ſiccitas exactam dilatationem nō permittit. teſpiratio magna, nec non uelox, & frequens, & id multo magis, ſi thorax non fuerit cordi propotionaliter auctus, propter cerebri paruitatem. & morum perfidia, inuerecundia, immanitas, & leuitas in notionibus, & in blanditijs: & ira velox cum tarditate pacificandi. & ad actiones promptitudo, celeritasque: & meditatione rixæ, contentionis, ſeparationis: & pilorum multitudo magis quàm in cæteris, & ſpeſſitudo, & criſpitas: & caliditas, & ſiccitas tactus. In calida autem, & humida pili ſunt pauciores ad actiones tamen non minor eſt promptitudo: & pectus vt plurimum latum magnum, & pulſus magnus, ſed leuior meliorue, & minus frequēs, veloxque. & reſpiratio, quæ ſi Thorax cordi fuerit proportionalis eandem pulſibus formam ſeruabit, ſi vero minor extiterit, tāto illis velocior erit, & frequentior, quanto & thorax minor erit. & ira velox non vehemens, ſed quæ facile ramoueri poſſit: ideo non ferus eſt animus: & meditationes ſunt iucundę, plenæ ſpæ, & circa res magnas, & tactus corporis calidus, & humidus, ſi non reſiſtat hepar vehementi frigiditate, & humiditate quamuis non vehementi. & ægritudines putridæ multiplicantur, præſertim ſi magna facta ſit euerſio in temperatura, & præſertim in humiditate, propter humorum corruptelam,

Signa Humidæ intemperiei. Gal. c. 32.

Signa Siccæ. Gal. c. 31.

Auic. loco citato.

Signa calidæ & ſiccę. Gale. c. 33.

Signa calidæ, & humidæ. Gal. c. 34.

lam,& putrefationem. & expirationes maiores sunt, ac velociores inspirationibus, & submissio arteriæ, systolesue, in pulsibus velox. Frigidam, & humidam significant pulsus mollis decliuis ad paruitatem, tarditatem, & raritatem, magis & minus; pro recessus magnitudine.& pigritia, timiditas, tarditas, cum mortua agilitate, vel viuacitate;& nuditas pillorum: & tales non retinent rancorem, nec sunt irascibiles: & corpus frigidum est & humidum si non resistat hepar, cum multa caliditate, & siccitate quamuis non plurima. In frigida verò & sicca pulsus non est cum tanta tarditate, est autem paruus, & durus. respiratio vero, si quidem thorax paruitatem cordis frigiditati proportionalem habuerit, moderata; si uero maior extiterit rara, ac tarda erit.& tales sunt iræ tardæ, sed fixæ: habentes meditationes tristes cum desperatione, & circa res paruas. & præ cæteris sunt sine pilis; corpus frigidum & siccum habentes; si non resistat iecur multa caliditate, & humiditate quamuis parua. Omnia uero quæ de moribus fuere enunciata, vt animaduertit Galenus de naturalibus audienda sunt, nô autem ex Philosophia,& exercitio acquisitis.

Signa frigida & humidæ. Galc.c. 35.

Signa frigidæ & siccæ. Gale. c. 36.

Signa prognostica deprauatæ cordis pulsationis. Cap. IX.

AT vero pulsationem ablatam uitium esse periculosissimum,& ut plurimum lætale in capite de syncopi, euidentius apparebit, quo in loco conspicuum quoque fiet quid prædicendum sit dum pulsatio imminuitur: Quod si pulsatio deprauetur. si id contingat ratione caliditatis extraneæ ut plurimum malum facile tollitur, dummodo ab intemperie cordis, uel à febre hectica, incurabilique non proueniat. similiter si propter spirituum uitalium defectum oriatut, spiritus sæpe possunt reparari, interdum non, & quandoque facile nonunquam cum difficultate, pro diuersitate causæ spiritus corrumpentis. sed si deprauetur pulsatio ab aliena substantia, si perduret ferè semper affectus ex Auicēna est magni momenti,& sēper periculosus difficilisque censeri debet; quia sæpissime permutatur ad sincopim,& si magis adhuc perduret ad mortem, & eam repentinam ob consequentem facultatis pulsatilis imbecillitatem, ut cuidem euenit, qui (ut testatur Galenus) dum

Auic. lib. citato.

exolueretur fortiter in corde palpitabat. quare maximum imminet peticulum, quia afficitur cor maxime, ad uitam necessarium & secūdum actionem pulsatilem adeò necessariam pro cōseruatione totius corporis, & omnium facultatum, tum naturalium, tum animalium, magis tamen, & minus intenditur periculum pro huius alienæ substātię cōditionibus, & diuersitate, ea propter si fuerit solida, & in corde solutam unitatem intulerit, uel etiam humorosa, quę constituat tumorem in corde, nulla est salutis spes; immo quam citissime moriuntur. nā si uulnus sit penetrans, illico pereunt: si superficiale possunt uiuere per unum diem. idem dicendum de apostemate, quod si fuerit magnum interficit eadem hora. si superficiale, si fuerit calidum tardatur mors usque ad secundum diem, si frigidum possunt uiuere usque ad quartum. Quare etiam si parua pustula corripiatur tamen moriuntur cum egressu sanguinis nigri per nares propter spirituum mortificationem quorum præsentia lucidus reddebatur. imo non solum hæc, sed neque dolores potest longo tempore tolerare, sicuti neque alia fortia nocumēta. ut ait Auicēn. quia sincopizat, Quod si tumor fuerit in pericardio, quia ut plurimum frigidus est possūt diutius uiuere nihilominus tandem pereunt. Si uerò materia nō producat morbum in corde cæteris paribus difficilior est affectus, si materia sit humorosa, quam si fit uaporosa, sed quæcumque sit, oportet continuò ipsius uim perpendere. unde siue sit humorosa, siue uaporosa si fuerit maligna, & à toto genere pręter naturā malum periculosissimū est, pręcipue si sit uenenosa. nā ut plurimū moriuntur, & cito. similiter, si non sit uenenosa, quāto materia erit maioris actiuitatis, quo prauior & copiosior, eo prauior erit affectus. Verbi gratia, si fiat à materia sanguinea minus erit periculum (dummodo sui copia non suffocet) maius si fuerit pituitosa, adhuc maius si biliosa à flauabile, maius adhuc si eruginosa fuerit & melancolica, maximū si atribilaris. præterea oportet cōsiderare, utrum materia concurrat uel solum irritando, uel etiam calefaciendo, & spiritus corrumpendo, quia tunc maius erit periculum. Idē dicēdum cum causa materiam producens erit magis intensa. et si malum fiat affecto corde per essentiam cæteris paribus uitium est magis periculosum, dictum est cæteris paribus, quia

Gale. 5. de loc. aff. c. 2. & Auic. loco cit.

potest

potest esse malum per cōsensum prauius malo per essentiam; Verbi gratia, si fiat tremor cordis per consensum à leuibus arterijs, uel etiam à toto febre pestilenti correpto, erit magis periculosus, quam si adsit intemperies in corde. Quod si cor in se habuerit causas disponētes malum profecto facilius adimetur, quia tunc à causa leuiori in paroxysmum impellitur, sed difficilius ægrotantes possunt ab hoc prauo motu præseruari: & si fuerit dispositum ob intemperiem uitium maioris momenti censeri debet, quia ut ait Auicennas, si sit in habitū non potest remoueri, si in habitudine maxima cum difficultate, & ut colligimus ex Gal. si recessus sit notabilis nō possunt diutius uiuere, quia ut ipse ait omnes hoc prauo motu correpti ante qninquagesimum annum periere. Laborat enim pars prencipalissima. Si uero sit dispositū propter sensum exquisitum possunt ad prouectam peruenire senectutem. sicuti sæpe experientia fuit comprobatum. & ego præter multos alios obseruaui quændam, qui à prima statim pueritia ad ultimam usq; senectutē hoc uicio per circuitus redeunte perpetuo correptus uixit, cum tamen is à quocumque alio uitio immunis fuerit, & circa omnes naturales, animalesque operationes incolumis extiterit. sed de his non loquitur Galenus; cum uitium hoc ad similitudinem spuriæ suffusionis, quæ ab acutissima oculorum acie prouenire solet, non sit vicium ex vsu artis, nec legitimi cordis tremoris nomen promereatur; quia propositum Galeni fuit agere de affectibus cordis (nam agit de locis affectis) & de his præsertim à quibus indicatio aliqua dessumatur. iam̄ verò dum læditur cor per consensum ratione sensus exquisiti, ab hoc sensu exquisito nulla desumitur indicatio, cum pēdeat ab optima cordis temperatura, quæ potius est conseruanda. quemadmodum etiam in spuria suffisione oculorum propter acutissimam ipsorum aciem à parte consentiente, ab ipsis oculis, nulla desumitur indicatio. Quātum spectat ad differentias si desumantur à forma, quo diuturnior antiquior, quo prauior, inæqualior, quo magis inordinatus, & impetuosus fuerit motus, eo difficilior erit, si capiātur à loco affecto, magis imminet periculum, dum cor afficitur secundum ventriculos, & præcipuè secundum sinistrum, minus si secundum dextrum, adhuc minus si secundum arte-

Auic. loco citato.

Gale. loco citato.

rias, minus adhuc si secundum uenas, dummodo non adsit aneurisma quæ ferè incurabilis existit. Denique aduertendum ex Galeni, sententia affectum hunc potissimum adolescentes,& adultos inuadere, quia cum ut plurimum ab humore proueniat melancholico, eo tempore humores incipiunt fieri sicciores, & ad naturam accedunt melancholicam. uere autem,& autumno affectus hic solet grassari; quia uere mouẽtur omnes humores, autumno autem humores redundant melancholici. Solet autẽ (inquit Galen.) interficere inter quadragesimum, et quinquagesimum annum, quia tunc est status, & uigor humorum melancholicorum; atribilariumque, & quia cor, uitæ origo, debile, languidumque fuit effectum. & ob easdem causas per febres acutas quoque interire solent. Hip. autem inquit, Circa uentriculum fortis ęstus,& cordis morsus malum,& per morsum cordis declarat Gal. nos posse intelligere, tum mordicationem in ore uentriculi; quæ in febribus mala est, tum cordis motum palpitationi similem, qui, si cum febribus,& tali æstu uentriculi coniungatur, malum est uehemens. quidam addunt, quod si cum tremore cordis nausea associetur, et materia euomi nõ possit, oris uentriculi conuulsio subsequitur. Et Auicẽna dicebat: & si quis conqueritur de tremore cordis post ægritudines, & habeat nauseam, & euomit choleram plurimam, & non remouetur nausea, malum est,& indicat spasmum in stomacho.

Hip. quarta Aphor. 65.
Gal. in cõ.
Auic. lib. 3. F. 11. T. 2. c. 1. in fi.

Quæ nam indicationes,& præsidia in prauo motu cordis hauriantur. Cap. X.

PRæsidia in quorum uirtute uitium hoc methodice ꝓfligatur siue sint indicata, siue requisita, cũ à rei natura sint elicienda, proinde uel ab ijs, quę in cor agunt, & illud in prauum motum impellunt, uel ab ipso corde patiente, a quo pulsatilis facultas emergit, capiuntur. à prauo autem motu cum sit actus imperfectus, & habeat esse non permanens, sed in fieri, nulla prorsus indicatio desumenda. Quare si ab agentibus in cor scopi capiantur, tunc hauriuntur à morbis uel à causis morbificis, uel à symptomatibus. Quantum attinet ad morbos, si loquamur de his qui curationem admittunt, intempe-

ries siue concurrat ut causa impellens, & sit ęgritudinis, siue ut disponens, & sit intemperies sanitatis, indicat auxilium per contrarium alterans; si fuerit obstructio, siue sit in uenis, siue in arterijs cordi famulantibus, indicat auxilium materiam euacuãs. si uero prędidia capiãtur à causis morbificis, causę uel sunt externæ, uel internæ, si sunt externæ, & adhuc ꝑmaneãt, ueluti ira, timor, ambiens calidius, putridũ pestilens, indicant auxilium remouens talem causam; si sint internæ, tunc præsidia desumuntur à materia, quæ pro sui diuersitate uaria indicat præsidia. unde si consideretur penes diuersam naturam, & determinatam formam, siue substantiam, si sit humorosa, indicat auxilium euacuans determinatum humorem, ut melãcholica, euacuans melãcholiam; si sit uaporosa, indicat auxilium disentiens. si consideretur penes quantitatem, si copiosa, & superflua; indicat auxilium minuens, si deficiat auxilium addẽs. si cõsideretur penes qualitatẽ, si qualitas sit prima indicat auxilium per continuũ, alterans, ut materia calidior, auxilium refrigerans, similiter si qualitas sit secũda materia crassa, indicat auxiliũ attenuans, uiscida, detergens, dura, emolliens, putrida, exsiccãs, uenenosa uerò non indicat, quia latet eius natura, sed requirit præsidiũ sibi aduersariũ, siue sit alexiterium, siue alexipharmacũ, si uero aonsideretur penes locum, uel est in corde, uel extra cor, si sit in corde, non tamen impacta, & fixa, sed recenter fluxa in uenis, aut in uentriculis ipsius, indicat præsidium tum deriuatorium, tum repulsoriũ. si uero sit extra cor, ita tamen ut uel actu fluat, uel fluere possit in cor, tunc indicat præsidium reuellens. Denique possumus respicere ad materiæ generationem, unde si materia melancholica, uel biliosa ꝓducatur à iecore calidiore, indicatur auxiliũ iecur refrigerans, si melancholia colligatur ratione lienis obstructi, oportet lienem euacuare, & roborare. si uapores maligni à uermibus producantur, uermes eradicandi. Quod si præsidia capiantur à symptomatibus, si fuerit dolor, occurrendũ tum his, quę remouent causam doloris, tum his quæ obtundunt sensum, tum his, quæ humiditatem, à qua seruatur continuitas, fouere, & cõseruare possunt, si fuerit fluxus, aut sudor superfluus, cohibendus, sic de cæteris. Postremò sunt præsidia, quæ ab ipso corde patiente præseribuntur, in uirtute caloris, cuius

est fons,

est fons, qui quidem indicat sui conseruationem, quæ fit per leuiter adstrigentia, & particularis proportionis, nam cordis proportio in omnibus eius affectibus consideranda est, præcipuè dum cor læditur per cobsensum. propterea cor ita muniendum est, vt causis morbificis maximè resistat, & non ita facile per consensu afficiatur; & ideo in omni consensu, siue sit positiuus, siue priuatiuus, sempar vtendum est cordialibus vocatis medicamētis, quę non indicantur, sed requiruntur ab ipsa cordis proportione, quæ cum sit nobis ignota, semper conseruanda est per cordialia, quæ à proprietate agunt, & cordis proprietatem sibi similem viuificant. dictum fuit semper requiri cordialia ad differentiam præsidiorum, quæ indicantur à cordis intemperantia, aut laxitate, quæ cum non semper in corde reperiantur, non semper indicantur præsidia euidentia, alterantia per contrarium, & adstringentia,

Quæ nam materiæ præsidiorum ad pulsationem deprauatam sint proponendæ. Cap. XI.

DEscendentes autem ad materiam medicinalem, eam tātummodo in medium proponemus, quæ ad pulsationem deprauatam dirigitur. nam ea, quæ ablatam pulsationē, vel diminutam instaurare potest, in sequenti libro conspicua fiet. Amplius cum spirituum defectus ijs, quæ syncopim amouere possunt, reparetur, de quibus in proprio tractatu loquemur, Extranea vero caliditas per ea, quæ cor refrigerant, auferatur, de quibus in curatione intemperiei calidæ cordis sermo fiet; Iccirco ea tantummodo præsidij materia, quæ pulsationem deprauatam ab aliena substantia prodeuntem corrigere potest, in medium afferenda erit; quantum igitur attinet ad materiam chirurgicam, dicebat Galenus omnes palpitatione cordis affectos sanguinis extractionem iuuare, quare dum adest indicans venæ sectionem, vena aperienda erit.

Gale. 5. de loc. 2.

Quid nam sit indicans uenæ sectionem. Cap. XII.

SEd quidnam illud est? morbine magnitudo? an virtus, & ætas? an potius hæc omnia simul connexa? Profectò cum sangui-

ſanguinis miſſio per venam ſectam ſit materia vnius tantummodo præſidij, vnicum præſidium debet ab vnico indicante præſcribi, hoc autem debet eſſe huic præſidio adeo adæquatum, vt eo poſito venæ ſectio ponatur, remoto vero, remoueatur. iam vero indicans hoc adeo clarum fuit, vt apertum apud Hippocratem, vt ipſe animi ſui altitudini ſtudens, doctrinæque inhurens elementari, de eo ne verbum quidem fecerit. quis enim ambigat, cum bilis purgatorium auxilium, cuius materia verbi gratia Rhabarbarum eſt, non niſi ab ipſa bile peccãte poſſit indicari melãcholiæ euacuatorium ab ipſa melancholia, ita ſanguinis euacuatorium ab ipſo ſanguine peccante non indicari? Amplius cum ſanguinis euacuatio poſſit per debile, vel validum auxilium præſtari, quis eſt qui ignoret tunc eſſe euacuãdum debili auxilio, cum peccatum ipſius fuerit leue? valido autem, dum graue peccatum extiterit? vnde clarum eſt, cum remedia debeant eſſe morbis proportionata, interdum nos vti debere cucurbitalis, ſcariſicationibus, vel hirudinibus, tamquam materia debilis præſidij; Interdũ venæ ſectione, veluti validi auxilii materia. verum illud nouiſſe non ſufficit, cum ſępe poſſit in ſanguine ne dum graue, verum etiam grauiſſimum peccatum conſiſtere, nihilominus propter virium imbecillitatem à venæ ſectione cogamur deſiſtere. Propterea animaduertendũ, (& dubitatio apud quoſdam valde perplexa facile enodabitur) ſanguinis euacuationẽ per ſectam venam, & ſi vnicum, & primo aſpectu ſimpliciſſimum videatur eſſe ſubſidium, non eſſe tamen ſimplex, & impermixtum, quia licet per venam ſectam ſanguis primario euacuetur, attamen ſecundario, & per accidens ſpiritus quoque, quoniam reſidet in ſanguine, & proinde duplex materia, contenta videlicet, & impetens ex inanitur. immo multo magis impetens, quàm contenta, cum ſpiritus ob maximam tenuitatem facilius inaniatur, quod declarat nobis apoſtematum inciſio, quæ ſi amplo fiat foramine, nulla alia de cauſa ſyncopim accerſit, & periculoſa eſſe ſolet, niſi propter ſpirituum inanitionem, ex his apertiſſimum eſt adæquatum venæ ſectionis indicans, nil aliud eſſe poſſe, quam graue peccatum ſanguinis ſpiritibus redundantis. Vnde diuinus Hip. morbnm vehementem, vires, ætatemque proponens, principale,

&adę-

& adæquatum indicans, veluti notissimũ subticuit, sed signa, & indicia certissima, in quorum virtute indicans innotescit, in medium attulit. si quidem per morbi magnitudinem innuit graue peccatum. qđ quidem fundatur in sanguine, tamquam in præcipuo indicãte; porrò sanguinem hunc spirituosum esse, & spiritibus redundare, virtus, & ætas attestantur. vnde quemadmodum morbi vehementia, & graue peccatum sanguinis respiciunt contenta, ita virtus, & ætas, & spirituũ affluentia diriguntur ad impetentia, & nobis commõstrant sanguinem spiritibus redundare. sicuti.n. in ætate senili spiritus propter debilem calorem probique nutrimenti penuriam pauci redduntur, ita in puerili ætate non possunt esse copiosi duplici de causa. nam primo propter parua conceptacula, & venarum,& arteriarum exilitatem pauci sunt veluti etiã pauci sunt humores contenti. ideo puerorum pulsus, si iuuenum pulsui conferatur, paruus est; nos verò dum venam secamus, præter robur, potissimum ad pulsus magnitudinem oculos dirigimus, nec vlla reperitur conditio, quæ ab hoc præsidio nos æquè dehortetur, ac pulsus paruitas. Secundo quoniam puerorum corpora propter nimiam mollitiem, & maximam texturæ raritatem, vt notat Galenus, assiduè, et vehementer diflantur. Nec obstat pueros habere maiorem portionem calidi innati, quia illud concedendum est de calore innato, qui fundatur in humido radicali,& materia seminali, non autem de calore influente, qui residet in spiritibus, in venis, & arterijs consistentibus, & hi quidem sunt, qui in venæ sectione facillime effluere possunt. in scarificatione verò, & extractione sanguinis per hirudines, tum ꝓpter meatuum paruitatem, tũ propter euacuationẽ, quæ fit sine impetu, pauci omnino spiritus, in relatione ad sectionem venæ, emanare possunt. hinc liquet, pueros venæ sectionem non admittere, non solum, quia virtus non sit robusta secundum solidam substantiam, vt quidam existimarunt, sed etiam quia non est valida secundum spiritus, hoc sensu, scilicet, vt virium validitas, non absolutè, sed in collatione ad venæ sectionem consideretur.

Gal. lib. de pul. ad tir. cap. 9.

Quòd autem virtus debilis secundum spiritus sit illa, quæ venæ sectionem inhibeat, clarè constat, nedum ex his, quæ dicta sunt, verum etiam ex auctoritate Galeni, qui 5. meth. in

Ga. 5. met.

matrona

matrona illa, quæ sputū sanguinolentum patiebatur, non ausus fuit secare venam, & rationem assignans, inquit, (quia passa fuerat inediam trium dierum,) sed ex trium dierum inædia non solidum, sed spirituosum genus lãguidum redditur. Quòd si quis obijciat in syncope, quæ ex ingenti plenitudine, & nimia sanguinis redundantia suffocante originem ducit, venam esse aperiendam actu existente syncope, quo tempore virtus non est valida, & hoc propter spirituum defectū: huic respondemus, quòd quamuis à plenitudine obruente spiritus in magna copia sint dissipati, attamen adhuc copiosi reperiuntur; Hi verò licet actu, & quo ad extensionem imminuti sint, quoniam à nimia sanguinis mole compressi, & quodammodo restricti, moueri, dilatarique prohibeutur, nihilominus in sui radice, & quo ad virtutem, & potestatem valde proximam copiosi sunt, quemadmodum sanguis quoque, ex quo præsertim generantur vberrimus est. patet. n. ob id syncopem cieri, quia & motus arteriarum intercipitur, & spiritus actu à nimia sanguinis copia suffocantur. qua quidem detracta, & comminuta, cum præsto sit materia, ex qua gignuntur, sanguis nempe vaporosus in arterijs redundans. confestim ad instar obrutæ flammæ resurgunt, & recreantur. Hoc verò minimè contingit vbi ab alia materia, quæ sanguis non sit, aut ab alia causa suffocante imminuuntur. Ad hæc in syncope, ex plenitudine licet venam aperire, quia solum in hoc casu per foramen vnica præsertim materia, contenta videlicet, egreditur; nam impetens, & spirituosa actu existente syncope, magis in intimis, & circa cor detinetur. verum dicet aliquis, si spiritus, & materia impetens secundariò, & per accidens euacuãtur, ergo spiritus copia & virtus in eo consistens non debet reduci ad id quod indicat, sed potius ad id, quod permittit venæ sectionem. Ideo animaduertendum, quòd quamuis spiritus secundariò inaniatur, attamen multoties materia spirituosa habet vim indicantis, dum scilicet eius inanitionem nõ minus quam sanguinis euacuationem expetimus. id autem contingit dum volumus non modò sanguinem euacuare, verum etiam refrigerare, & sanguinis motum compescere. Propterea in ardentissimis febribus dicebat Galenus, in magnis inflammationibus, & vehementissimis doloribus sangui- Gal. prima aphor. cõ. 22.

nem detrahimus per venam sectam vsque ad animi defectũ inclusiuè, & proinde vsque ad maximam spirituum euacuationem, ad hoc vt calor qui residet in spiritibus deferuescat, & humores refrigerentur. Ex cognitione indicantis facilè patet prohibens, cum.n. contraria nata sint, circa idem subiectũ fieri, ergo illud quod prohibere potest venæ sectionem nil aliud esse potest nisi leue sanguinis peccatũ, & præsertim eiusdem sanguinis, spirituumq; penuria. id verò nobis ostendunt morbus leuis, virtus imbecilla, nec non puerilis, & senilis ætas. hinc colligimus dolorem, cibalem superfluitatem, & similia legitimi prohibentis nomen minimè mereri, & si sanguinis missionem interdum differre possint. Sed materia in primis existens ductibus, dolorq; habent rationem non prohibentis, (non.n. prohibent absolutè) Sed antecedentis, hic quidem vt vrgens, illa verò vt causa sine qua non. Itaque posito graui delicto sanguinis spiritibus exuberantis semper vena aperienda erit. at verò tunc sanguinem grauiter peccare decernimus, cum grauem affectum vel actu fouet, & producit, vel in proximum fouere, & producere potest, aut nimia quantitate, aut vitiosa qualitate, vel prauo motu. nec mirũ videatur prauam sanguinis qualitatem sectionem venæ præscribere posse, quia per sanguinem intelligimus aggregatũ illud, quod ex quatuor succis conflatum in venis continetur; vnde si aggregatum hoc præsertim à prædominio biliosum fuerit, non solum pharmacum bilis purgatorium, verum etiã venæ sectionem indicare potest. dummodo spiritibus sit refertum, & proinde virtus robusta sit. nam tunc valida virtus probum sanguinem penes intima, nobilioraq; viscera detinẽdo, biliosum vti valde molestum ad extimas partes protrudit. is.n. quantò nobiliora membra infensus stimulat, tãtò ad ignobiliora tenuissimus facilè fertur. quò fit, vt resecta vena propter vicinitatem, tenuitatemq; primus effluere conspiciatur; post cuius egressum ubi incipit fieri mutatio de malo ad bonum, statim euacuatio supprimitur. virtute autem debili existente, cum non ita facile à probo sanguine sit segregatus, & non minus in intimis, quam in extimis partibus resideat, pharmaco potius vtendum est, quam venæ sectione, quæ præter id quod à viribus non sustinetur, ægrotantem in succorũ

ebullitionem, & maximũ discrimẽ deducere potest. Amplius in febre synocha non minus sanguinis qualitas, caliditasque, quam eius quantitas venæ sectionem exposcit, cum huius ope hæc imminuatur, illa verò adeò refrangatur, vt nõ immeritò Galen. larga admodum, & vsque ad virium defectũ sanguinis detractione vtens ab assidẽtibus huius febris strenuus, artificiosusque iugulator fuerit appellatus.

Deprauati cordis motus curatio. *Cap. XIII.*

MATERIA CHIRVRGICA.

QVapropter dum sanguis redundabit, vel in toto, vel in corde, & spiritibus fuerit refertus, (quod ex valida virtute, & florenti ætate cognoscitur) etiam si motus prauus à materia frigida promoueatur, expedit venam seccare. quia sanguis proculdubio grauiter peccat. fouet. n. & fouere potest affectum, qui saltem ratione partis affettæ, & dignitatis, maximus est. & id non modo ratione quantitatis, & qualitatis, verum etiam potissimum ratione motus. non. n. licet ad topica descendere, nisi totum euacuetur. similiter nisi cor euacuetur, imminet facultatis pulsatilis suffocatio. & propterea venæ sectio confert saltem reuulsionis gratia, vt inhibeatur excrementorum confluxus ad cor, quod vt plurimum imbecillum est, & prauo motu agitatum excrementa, & humores facile trahit. Quantitas autem sanguinis extrahendi tum à spirituum redundantia, & proinde ab ipsis viribus, tum à redundantia sanguinis siue à plenitudine limitanda erit. Vnde in tremore phlegmatico in minori copia sanguis erit euacuandus, in maiori si fuerit biliosus, & melancholicus, quia præter id quod fit reuulsio, & euacuatio tollitur etiam caliditas producens bilem, & melancholiam. & sæpe contingit melancholiam permixtam esse sanguini, cum ipsa fex sanguinis existat. in maiori adhuc copia euacuandus, si tremor sit sanguineas. Ideo dicebat Auicenna, tunc sanguinis euacuationem vltimam esse debere. imo si adsit timor apostematis cordis, aut subitę suffocationis, materia copiosa ad cor fluente, quod in vehementi plethora contingere solet, aut maxima Quãtitas.

existente inflammatione, dum opus esset cor subito,& notabiliter refrigerare, expedit euacuare vsque ad animi defectũ, sed exclusiuè. Verum dum malum dat inducias, quod vt plurimum euenit, oportet sanguinem repetitis vicibus euacuare, quia laborat pars, cuius functio pro conseruatione totius omnium maximè necessaria est. & quantò maiorem in numerum particulares augentur detractiones, tanto efficacior efficitur reuulsio. Oportet autem secare basilicam dexteram, potissimum, si totius plenitudo, tremorque; à sanguinea repletione producatur; si verò totius plenitudo non adsit, & tremor fiat à materia vaporosa, expedit basilicam sinistram aperire, vel etiam primò dextera, deinde si oportuerit sinistra quoque aperiatur. potissimumq; si pars mittens sit lien, quod frequenter contingit. Quod si fiat tremor cordis, ex suppressis hemorrhoidibus aut menstrua purgatione à saphenarum phlebotomia inchoandum est, deinde ad apertionem basilicę dexteræ, vel sinistræ, aut vtriusque properandum est. Vena autem non modo inter initia statim post alui lenitionem aperienda, verum etiam imminente malo, præsertim tempore veris, quo tempore sanguis redundat. & ob id aduertendum, quòd vbi prauus motus non est continuus, sed interpellatus, venæ sectio, & aliæ euacuationes sunt administrandæ ante paroxysmum ad prohibendum eius reditum in paroxysmo autem regulariter sunt omittendæ, & tunc magis diuersionibus incumbendum est, quæ fiunt per frictiones, ligaturas, & his similia. Si verò non adsit adæquatum venæ sectionis indicãs, quia virtus, & spirituũ penuria, vel aliud quippiã venæ sectionẽ nõ pmittat, hirudinib. & cucurbitulis scarificatis vtendũ ẽ.

Quantitas discreta.

Gal. lib. de rat. cur. mor. per uer. sect. c. 12.

Locus.

Tempus.

Medicamenta ad prauum cordis motum. Cap. XIIII.

MEdicamenta vel sunt cõia, vel determinata, cõia sunt ea, quæ totius expurgationem respiciunt, leniẽtia videlicet, quæ præparantia, & purgantia, quæ omnia debent esse tũ cordialia, vel cum cordialibus admixta, tum ẽt corroborantia ea membra, quorũ cõitate cor patitur. Quare vbi materia biliosa redundat, pro leniente probantur tamarindi, manna, cassia, sirupo rosat. sol. cum decoctis cycoreæ, endiuiæ, violarũ. pro præparante optimi sunt sirupo rosat. violatus, de acetositate citri, roob de ribes sirupu de agresta cum aquis rosarũ, violarum, cicoreæ, endiuiæ, acetosæ, nenupharis, quibus licet adde

Cõmunia.

re aliquid coralij, margaritarum. Pro purgante laudãtur, rhabarbarum mirab.citrini, in virtute præsertim, & infusa in dilutis cordialibus. Inter cõposita cõmendatur diaprunis solitiuus, electuariũ de succo rosarum, cum aquis cordialibus iam dictis, dum tamẽ adest timor apostematis, tutius est vti leniẽtibus notabiliter refrigerantibus, ne materia agitata amplius fluat ad cor. Si materia euacuanda sit pituitosa pro leniente probatur vomitorium cum vẽtriculus sit lacuna phlegmatis, præsertim si nausea ægrum infestet, & sit assuetus, & pôt parari cum oxymelite, cum succo raphani. Si æger non sit assuetus magis probatur euacuatio per secessum cũ melle rof. sol. & cum speciebus hieræ. pro præparante laudatur sirupo de betonica, mel rof. oxymel simplex, compositũ, sirup. bysantinus, de corticibus citri, & huiuscemodi. cũ aqua betonicæ, melissæ, saluiæ, sampsuci, pulegij. pro purgante verò inter omnia probatur agaricum, ita licet vti mirabol. chebulis. Inter composita sunt pilulæ alephanginæ, diaphęnicum, & ab Aui. ꝓponũtur hieræ magnę, vnde licet describere simile purgatorium in potu. ℞. Agarici.præpar. drac. 1. corticum mirabol. chebulorum drac. 2. foliorum melissæ, borag. an. pug. 1. aquæ. q. 5: fiat decoctio secundũ artem. ℞. huius decoctionis q. 5. dyaphenici drac. 4. mel. rof. sol. vnc. 2. fiat potio breuis; uel in forma pilularũ hoc mõ. Rec. agarici præpa. scrop. 4. specierum hieræ simpl. drac. 1. cum oxymelite fiant pilulæ v. uel loco specierum hieræ accipiatur drac. 1. pilularum alephangi uarũ. Si humor redũdans fuerit melãcholicus, qđ sæpe cõtingit, pro leniẽte detur lenitiuũ, uel sirup. uiolatus solutiuus. ꝑparantia sint sirup. de boragine, de capillis veneris, de lupulis, de fumoterræ, de pomis, de epithymo, cum aqua buglossæ boraginis, melissæ, rorismarini, enulæ, fęniculi, uel similiũ. inter purgantia proponuntur sena, epithymũ, mirabol. indi, lapislazuli cum suis correctiuis. Inter cõposita probatur diasena, hamech, pilulæ indæ, de lapide lazuli, & ab Auic. ꝓponitur hiera Rufi, & hicralogodion, quæ euacuant melãcholiã à partib. remotis. & inter uehicula soluentiũ melãcholiã ꝓstantissimũ est serum lactis, quod potest etiam præberi post catapotia quæ gratia exempli possent. ita ordinari. Rec. pilularum de lapide lazuli, aut armeni drac. 1. agarici præparati scrop. 2. aut pulueris hieræ simplicis drac. 1. cum decocto cordiali, vel cũ

sirupo

ſirupo de corticibus citri fiant pilulæ v. obſeruandum autem vt dictum eſt, vt in quocunque medicamento miſceantur cordialia, quæ ab Arabibus vocantur bezaartica, præcipue in lenientibus, & multo magis in purgantibus, non tamẽ in multa copia, neque ſtrenuè alexipharmaca, ne ſubſequatur excoriatio,& purgatorij vis labeſactetur.& ſint calida, vel frigida, prout materia purganda frigidior, vel calidior erit. Inſuper aduertendum, vt in malis cordis ſoluentia exhibeantur in minima doſi, ne copioſa fiat euacuatio,& ob id vicibus repetitis ſupplere oportet. Poſt totius euacuationem ad determinata, localiaque medicamenta accedendum eſt. Quare animaduertendum an cor lædatur per eſſentiam, vel per conſenſum, ſi lædatur per eſſentiam ſoluta vnitas non ſuſcipit curationem, ſimiliter tumor cordis, vel etiam pericardij non poteſt curari. Idcirco antequam fiat oportet occurrere cum copioſa ſanguinis detractione,& euacuationibus ſecundum exigentiam, & omni genere diuerſionem, & poſtea cum ſtipticis roborantibus, & tuentibus cor, ne recipiat humorem, nec non auferendo cauſam fluxus humorum.& incraſſando humores ipſos, ſi oportuerit, ne ſua tenuitate fluant. ideò Auicenna in hoc caſu, in tremore, ſcilicet calido,dum requiritur fortis extinctio, vtitur hoc medicamento. Recip. ſem. lactucæ, endiuiæ, ſpodii,roſarum, ſandalorum, ſem.portulacæ, bugloſſæ, coriandri, ſicci; corallii, Karabbe, margaritarum, an par. ij. camphoræ quartam partem miſce, fiat puluis, cuius poteſt exhiberi drac. I.cum vnciis duabus aquæ roſatæ, & drac. duabus vini aromatici, vel etiam detur ad drac. 2. dum caliditas eſt valde intenſa, nam dum malum eſt intenſiſſimum,& adeſt timor principii apoſtematis, concedit Auicenna opium cum croco, & aromatibus. dieta uerò tenuiſſima eſſe debet. Si verò in corde adſit intemperies, vtendum per contrarium alterantibus, ſed ſemper roborantibus cor. Vnde animaduertendum,cor poſſe roborari, vel ab iis quæ agunt ſecundum qualitates manifeſtas, vel ab his, quæ iuuant à tota ſubſtantia, hoc eſt ſecundum proportionem, & proprietatem occultam cordi quidem familiarem, & amicam, his autem,quæ cordis proportionem deſtruere poſſunt, inimicam. ſi loquamur de iis,quæ agunt ſecundum qualitates manifeſtas, hæc agunt per

Determinata & localia.

Ad cordis intemperiem.

Cordis roborantia nam ſint.

qua litates

qualitates primas, vel ſecundas, quæ agunt ſecundum qualitates primas, hæc ſunt temperata, vel etiam alicuius caliditaiis participantia, ſi vero agunt ſecũdum quaiitates ſecundas, ſunt duplicis generis adſtrigentia ſcilicet, & adorata. nam adſtringentia ſpiritus, & calorem vniunt, & roborant, odorata verò ſpiritus confortant, ideo dicebat Auicen. omnia aromata ſummatim eſſe cordialia; ſi verò loquamur de iis, quæ iuuant à totalitate ſua, quæ propriè dicuntur bezaartica, hæc etiã ſunt duplicia, nam quædam coroborant cor à proprietate occulta à qualitatibus manifeſtis adiuta, vt crocus, & ſpica, quorum proptietates à caliditate, & adſtrictione temperata & ab aromaticitate adiuuãtur. quædam cor confortant per proprietatem occultam, (quæ etiam à nonnullis occulta qualitas appellatur) à manifeſta, & euidenti qualitate non adiutam, vt eſt hyacinthus: uel aliud ſimile. His igitur vtendum eſt, & modo calidis, modo frigidis, prout intemperies erit frigida, vel calida. & prout etiam materia, quæ agit in cor diuerſimodè erit affecta. imo licet etiam continuo temperata permiſcere, quatenus ſcilicet cordialia ſunt. Porrò frigida ſunt acetoſa, violæ, cicorea, acetoſitas citri, limonis, vinum granatorum, roſæ, corallia, margaritæ, ſandali, camphora, coriandrum ſiccum, & humidum, bolus armena, terra ſigillata, karabbe, ſaccharum roſatum, ſaccharum violatum; Calida autem ſunt zedoaria, ſericum crudum, quod eſt admirabile, meliſſa, been album, & rubrum, & ſunt velocis iuuamenti, calamẽtum montanum, dictamnum, creticum, betonica, ſtechas, ambra, muſcus odoratus, caſtoreum, doronicum, calamum aromaticum, polium montanum, amaracum, coſtum, ænula, quæ eſt mirabilis, hypericon, lauendula, pulegium, origanũ, ocimum, cortex citri, ſemen eius, vinum aromaticum, lignũ aloes crudum, roſmarinum, balſamita, menta, ſatureia, ſpica nardi, cubebæ, caſia lignea, cordamomum, cinamomum, phu, ſeu valeriana præſertim pontica, cariophyli, qui ſunt præſtantiſſimi, nux muſcata, crocum, galanga, ſquinantum, & omnia aromata; Inter cõpoſita eſt conſerua betonicæ dianthos, magnæ confectiones, diamuſcum dulce, & amarum, & id genus alia. Temperata autem ſunt aurum, argentum, hyacinthus, capilli veneris, bugloſſum, borago, granatæ, os de

Au. 5. colliget. cap. de med. confor. mẽb. Auic. loc. cit.

Frigida. *cordialia*

Calida.

Tẽperata

corde cerui lapis bezoar, hoc est liberans à veneno, saphirus, smaragdus, rubini, topacius. Hæc igitur, & his similia sunt illa, quibus vtendum est in cordis corroboratione, quæ licet in omnibus ægritudinibus cuiuscunque membri conuenientia sint, attamen in passionibus cordis sunt valde necessaria.

Notanda. Aduertendum igitur, quod pręter id, quod à proprietate sua cor confortant, remoueant quoque ipsius intemperiem, & qđlibet nocumentum remanens post suprascriptas euacuationes, quæ cordis imbecillitatem augere possunt, nec non alicuius adstrictionis moderatæ sint participantia; Insuper aduertendum ex Auic. cauenda esse insigniter adstringentia, refrigerantia, & calefaciẽtia, ne lædatur respiratio, & motus spirituum vitalium, nam in his duobus vita consistit, vnde nimium adstringentia reddunt respirationem difficilem, & cohibent motum spirituum, calidiora efficiunt respirationem iusto velociorẽ, & spiritus nimium dissoluunt, & dissipant trahendo violenter à centro ad circumferentiam, frigidiora spiritus lædunt, & ipsorum motum, respirationemque cohibẽt.

Notanda — Denique aduertendum quod in curatione calidę intemperiei cordis, non debemus vti refrigerantibus solis, vt inquit Auicen. sed semper miscenda calefacientia propter spiritus vitales, qui à calido conseruantur, & etiam vt detur frigidis penetratio; quare in trociscis de camphora non est auferendum crocum, sicut quidam moderni malè fecerunt. In affectu autẽ frigido licet vti calidis sinceris. discurrere igitur oportet circa medicinas cordiales propositas, et ex eis eligere calidas, frigidas, humidas, vel siccas, aut temperatas, prout cordis exigit intemperies, & etiam aliorum membrorum producentiũ materias viciosas agentes in cor, & sunt administrandæ intus, & extrà, tam tempore quietis, quam tempore accessionis.

Ad intemperiam frigidam. Intus. Quamobrem si intemperies fuerit frigida, verbi gratia, licet hoc, vel simile medicamentum ordinare. ℞. pro basi cinamomi, ligni aloes serici crudi an. lib. 2. pro adiuuantibus basim adde auri, musci odorati, ambrę an. gra. 7. pro recipiente adde conseruæ dianthos. vnc. 3. cum sirupo de corticibus cirri, fiat electuarium, & dosis sit à drac. 2. usque ad vnc. 1. & detur per quatuor horas ante prandium, vnde aduertendum muscum, ambra, crocum, & alia ualde aromatica antiquorum exemplo

esse

esse permiscenda in parua dosi, in comparatione ad alia. quia superflua aromaticitas potius nocet. licet etiam simile medicamentum parare, ℞. conseruæ dianthos, ex floribus betonicæ, melissæ an. vnc. 1. cariophylorum, macis, nucis muscatæ, specierum galię muscatæ an. scrop. 1. musci odorati gra. 3. cũ sirup. de corticibus citri, fiat electuarium, & detur vt supra à drac. 2. vsq; ad 4. maximè etiam probatur vsus aquarum aponensium, & vini guaiaci cum saluia, melissa, & similibus, extrinsecus verò licet vti hoc epitemate, ℞. aquæ, vel decocti melissæ, saluiæ, amaraci, boragin. l. 1. & se. nucis muscatæ cariophylorũ cinam. an. drac. 1. xyloaloes, corticũ citri, seminis ocimi, an. drac. 3. ambræ, musci odorati an. gra. 5. croci gra. 4. vini odorati vnc. 3. misce pro epitemate. Laudatur quinetiam teriaca dissoluta cum vino generoso. expedit etiã uti inunctione ex oleo costino, nardino, amaracino, & liliorum alborum, cum puluere ligni aloes. macis, cinamomi, exiguo croco, galia muscata, cera quantum sufficit, & pauco uino odorato, & conficere unguentum. licet quoque applicare sacculum hoc modo paratum, ℞. florum rorismarini, flor. saluiæ, maioranæ minutioris, serpilli, calamenti montani, stechados an. Pug. sem. cariophylorũ macis, styracis calamitæ an. drac. 1. musci scrop. sem. ossis de corde ceruí nu. 1. contundantur, crasso modo, & fiat sacculus de serico, qui continuò gestetur. & ut aer assiduo sit correctus, fiat pila odorata hunc in modum, ℞. cariophyllorũ, macis, nucis muscatæ, ligni aloes an. scrop. 1. musci odorati gra. 5. laudani vnc. 1. misce, & fiat pila. In intemperie autem calida, & in motu à causa calida, si caliditas non sit vehemens intrinsecus, licet exhibere hoc, vel simile medicamentum, quod est Auic. ℞. doronici partem vnam, camphoræ, quartam partem, sandali tertiam partem, margaritarum, corallij, karabe, xyloaloes, spodij, rosarum an. medietatem partis, buglossæ partes 2. conficiantur cum aqua malorum, & fiant trocisci, & dosis sit à drac. usque ad aureum. Si caliditas sit fortior, vtendum his quæ superius fuere proposita ad præseruationem ab inflammatione cordis. Extra vero licet ℞. aquæ rosarum, endiuiæ, acetosæ an. vnc. 4. acetositatis citri vnc. 1. aceti rosati vnc. sem. misce pro epithemate. vel etiam ℞. rosarum, violarum sand. rubrorum, citrinorum

Ad intemperiem calidam.

Extra.

corolliorum an. drac. 1. florum boraginis, buglossæ an. drac. ſ. croci, camphoræ an. gra. 6. aquarum roſarum, acetoſæ, florum nenufaris an. vnc. 2. aceti vnc. 1. uini odorati vnc. 5. miſce, & applicentur regioni cordis, cum panno præſertim purpureo, aut cendado de grana, adeo magno, ut magnam thoracis partem tegat. & replicetur actu frigidum magis, uel minus, aut tepidum, pro diuerſitate temporis anni, caliditatis cordis, & roboris, aut debilitatis eius, ex iiſdem poſſunt fieri ſacculi, inunctiones, emplaſtra, & pilæ odoratæ. Quòd ſi intemperies fuerit humida, oportet, vti medicamentis aliquo modo exſiccantibus cum adſtrictione moderata, & uictus debet eſſe tenuis, & exſiccans cum exercitio potius longo, & frequenti, quam intenſo, & forti, niſi eſſet coniuncta frigiditas, contrarijs vtendum in intemperie ſicca, unde præter medicamenta humectantia, ut eſt borago, bugloſſa, oleum liliorum alborum, laudatur balneum temperatum, cibus, & potus potius abundans, humectansq; dummodo poſſit concoqui, & ſomnus multus cum exiguo motu. Si intemperies fuerit compoſita, complicatis remedijs utendum, unde uerbi gratia, ſi ſit frigida, & humida, applicetur balneum, ſed aquæ calidæ, in quo diutius immorentur ante cibum, utendum ſolutiuis, diureticis, uino antiquo odorifero, & potenti in moderata tamen quantitate. cibi ſint calidi, & ſicci, in quantitate tamen moderata. exercitium ſit multum, & intenſum, incipiẽdo, tamen à paruo, & breui, & gradatim, aſcendendo ad longum, & magnum; ſi humiditas iungatur caliditati uitandum balneum, & utendum coitu, & ſic de cæteris. ſi autem cor lædatur per conſenſum, ſi prauus motus fiat per conſenſum à toto, ut in febribus, utendum curatione febrium, ſed ſemper corroborandũ cor cum his, quæ reſiſtunt uitioſæ temperiei communicatæ, uel cõmunicandæ cordi ab ipſa febræ, uel ab eius cauſa, quæ ut plurimum eſt calida. (ideo utendũ frigidis cordialibus intus, & extrà) licet interdum ſit frigida, ut euenit in febre ſyncopali humoroſa. Si ſequatur criſim, incumbendum eius complemento, & cor roborandum cũ his, quæ ſunt conuenientia. Si autem fiat per conſenſum à parte. attendendum ſimiliter cordis confortationi, & membri cõmunicantis euacuationi, diuerſioni, & ipſius rectificationi remouendo

Ad humidam.

Ad ſiccam

Ad læſionem cordis per cõſenſum.

Aui. lo. ci.

mouendo ipsius intemperiem, obstructionem, & quodlibet nocumentum, & ipsum roborando, vt sit minera laudabilium humorũ, & si dolore crucietur, remouendo doloris causam, si fieri potest, vel mitigetur dolor. si fiat propter nimiam aquositatem in pericardio cor comprimente, vtendum omni regimine exsiccatiuo tam per cibos, quam per medicamenta. necnon iteratis euacuationibus, quæ tamen virtutem non deijciant. Si fiat à venenis assumptis, venena sunt euacuanda vomitu, & secessu. in initio autem præmittendus vomitus cũ assumptione olei, vel aquæ tepidæ, aut vtriusque simul mixtis. & fiat exquisitus, deinde lenitiuum exhibeatur, cor autem confortetur, cum bezaarticis appropriatis, quæ vocantur alexipharmaca. si fiat à morsu venenosorum animalium, attrahatur venenum impressum in parte vulnerata cum frictionib. & scarificationibus, & cucurbitulis, vt sanguis exeat. postea lauando cum aqua calida, & applicando pullum nouiter dissectum adhuc calidum, vel consimile, ita probantur vesicatoria, quæ diu detineantur aperta; pars autem supra vulnus tuenda cum defensiuis, & præcipuè cum aceto, & aqua rosacea, cor autem roboretur intus, & extra, cum alexiterjs conuenientibus, & Theriaca præcipuè tam sumpta, quam applicata optima est. Si verò loquamur de præsidiis curatoriis, quibus in accessione vtendum est, hæc in cura syncopis diffusè tradentur, summatim verò in parogysmo, vtendum suppositoriis, clysteriis, frictionibus, ligaturis. Verum quoniam interdum tremor est ita fortis, vt sequatur stridor dentium, contorsio oculorum, ablatio vocis, & similia, nonnunquam est sine his symptomatibus, sed tamen ita fortis, vt pulsatio ab ægro, & circũstantibus audiatur, aliquando solum tangendo pectus percipitur, ideo dum fortis est, quod præcipuè contingit in primo casu, oportet valenter diuertere, & dum imminet syncopis, vtendum validis frictionibus, cucurbitulis, & ligaturis, incipiendo prope cor, & descendendo. ita vtendum suppositoriis, clysteriisque secundum exigentiũ, & dum adest timor apostematis, vtendum venæ sectione pro diuersione; venæ sectio tamen sicuti etiam vẽtris solutio omittatur quantum fieri potest, ne materia, magis agitata amplius fluat ad cor, & suffocatio subsequatur.

Ad tremorem ex uenenis.

In parogysmo q̃ sint adhibenda.

Quæ nam uictus ratio in cordis tremore conueniens sit. Cap. XV.

Aer am- c.15.

VIctus ratio debet esse medicamentis proportionata, aer sit purissimus, & in affectu frigido alteretur cum maiorana pulegio, saluia, serpillo, calamento, melissa, satureia, musco, laudano, croco, thure, ligno aloes, cariophylis, & alijs aromatibus, cum quibus possunt fieri vaporationes, suffumigia, & præcipuè cum styrace calamita, ita possunt fieri pilæ odoratæ, de quibus supra, si affectus sit calidior, alteretur cum rosis, & aqua rosata, cum sandalis, pomis, malis citris, malis medicis, aceto; & in vehementi caliditate cum aqua rosata, & aceto, & cum violis, foliis saliuis, vitis, & cum floribus nenupharis, violarum, & similium, & agitetur aer cum flabellis, & si possibile sit, apud stratum eorum ducatur aqua frigida cum canalibus, præcipuè si cum caliditate iungatur siccitas. pilæ fiant cum floribus nenupharis, violarum, rosarum, sandalis, & camphora, addendo aquam rosarum, & paucum acetum; his autem licet addere paucul͂u vini aromatici vt virtus frigidorum melius ad cor perueniat, spirituumq; caliditas confortetur. aer.n. inspiratus est efficax medicina, vt inquit Galen.cũ immediatè petat cor. Hæc aũt declinare debẽt ad siccum, vel ad humidum, prout affectus exigit. Idem dicendum de cibo, & potu. Gal. in motu prauo ex causa frigida, ex causa crassa probat victum attenuantem, calefacientem, & siccantem, vi cuius non solum pituita, & flatus crassi dissipantur, verum etiam materia melancholica, ex qua vitium hoc sæpius contingit. ideo cibi condiantur aromatibus, petrosel. melissa menta, rosmarino, buglossa, boragine, feniculo. carnes ad calidum declinent, sicut columborum, turturum, perdicum, turdorum, quorum ventres repleantur herbis aromaticis calidis, vt saluia, vel simili. præcipuè verò condiantur cinamomo, cariophyllis, & croco. Vinum sit clarum, tenue, potius antiquum, odoriferum, vinosum, potius ad dulcedinem vergens. Contrà in motu à causa calida cibi condiatur cum acetosis cordialibus, vt acetositate citri, limonis, arancij, succo granatorum, ribes, prunis, cum acetosa, cum aqua rosata,

Galen. 10. met. med. Gale. 5. de loc. cap. 2. Cibus, & potus.

cum ordeo, & emulſione ſeminum mellonum, vbi tremor eſſet bilioſus. cũ aliis verò vbi ſit aliqua ex parte ſanguineus. ita laudatur ſuccus pirorum, & pomorum aromaticorum. ex herbis probatur cucurbita,lactuca,acetoſella, endiuia,portulaca; inter carnes laudantur pulli, & aliæ carnes temperatæ, laudabilesque, idem dicendum de ouis ſorbilibus, cum vmphacio,& aceto conditis.oua tamen, & carnes, conſtante virtute vbi opus eſſet dieta tenui, vitanda ſunt. ſimiliter pro potu non eſt adhibendum vinum, ſed loco eius bibant vinum granatorum, aut ſirupum acetoſum, aut de acetoſitate citti, cum aqua debitè permiſta, dummodo tamen vires non collabantur propter ſpiritus,nam tunc Auicenna exhibet paucum vini,& debet eſſe odoriferum, ſed permixtum cum aqua roſata, vel aqua acetoſæ. Denique aduertendũ quòd ſi affectus hic contingat poſt purgatorium, poſt medicamentum ſoluẽs, occurrendum potiſſimum medicamentis cordialibus alexipharmacis, propter venenoſitatem purgatorii, nec ita cogimur uti copioſiori alimonia, quemadmodum ſi oriatur poſt venæ ſectionem in qua adimitur alimentum, nec aliquod tãquam aduerſarium occurrit cordi, ideo tunc potius alimento occurrendum eſt. & hæc de Palpitatione, & de quolibet prauo cordis motu ſatis ſint. modo virium exolutionem aggrediamur.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE

DE VIRTVTIBVS,

ET VITIIS CORDIS.

LIBER TERTIVS.

DE SYNCOPE.

Imminutæ, & ablatæ cordis pulsationis differentiæ, & nomina traduntur, & cur de lipothymia, et syncope solummodo sit agendum. Cap. I.

ABsoluto tractatu de pulsatione cordis deprauata, reliquum est, vt de imminuta, & ablata sermo fiat, & quoniã horum symptomatũ causę eędem sunt secundũ speciem, sed remissionis, & intensionis modo tantũmodo differunt, idcirco in eodem sermone, & eodem tempore, de vtraque huius functionis læsæ differentia pertractare decreuimus. Exempli gratia quemadmodum usus remissio, vt frigiditas potest pulsum imminuere, ita extrema refrigeratio ipsum penitus auferre pôt, pari modo ratione facultatis debilis pulsatio hac ratione imminuitur. at vbi virtus ad vltimam labefactationem, resolutionemque peruenerit, penitus aboleri solet. imminutam igitur pulsationem aggredientes, ne in tam ardua, & tam obscura difficultate (ea est omniũ, quę in arte medica tractantur longe difficillima) in aliquem errorem labamur, illud im primis præaccipiendum duximus, quod etiam superius fuit propo-

propositum, nempe pulsatilem functionem imminui, & proinde paruã, tardã, & raram euadere uel pp usum imminutũ, uel propter facultatem labefactatam. Porro in vsum imminutum refertur, vbi in corde natiui caloris penuria, uel ingẽs refrigerium suboritur. In facultatem uero, quum ipsa ad resolutionem, & defectum deuenerit. Præterea animaduertendum est, quod vbi pulsatio imminuitur, & æboletur ratione facultatis labefactatæ, id dupliciter contingere potest uno mõ sensim paulatimque, propterea qđ facultas quoque paulatim deficit; altero modo subito, & confertim, quia uirtus pulsatilis extẽplo, & cum impetu resoluitur. Qua tradita distinctione, sciendum est nos in præsentia non esse de ea imminuta, & ablata pulsatione tractaturos, quæ paulatim it; hoc enim non esset agere de uicijs, quę cordis propria, & peculiaria sunt; sed de omnibus affectibus, & potissimum de febribus, & morbis totius, qui adeo praui sunt, & perniciosi, ut non modo cæteras omnes operationes, uerum etiam pulsatilem uim, omnesque cordis uires sensim labefactare, destruere, & tandem mortẽ ipsam inferre consueuerunt. Agamus igitur de functione pulsatili confestim imminuta, & hoc propter facultatem labefactatam, quia hoc præsertim erit agere de lipothymia, & syncope, proindeque de vicijs, quæ communiter in ipsum cor ab omnibus praxim profitentibus referuntur. Et priusquam ad huius essentiam perlustrandam descendamus: quantum attinet ad nomẽ: sciendũ est dari quatuor gradus, quorũ primus est animi deliquiũ, siue aĩæ defectus, qui Grecè lipothymia seu licopsichya nuncupatur, in quo uirtus pulsatiua confestim quidem imminuitur, vt pulsus euadat admodum paruus, tardus, & rarus, non tamen in extremo diminutionis gradu. Secundus est affectus ille, qui Grecè uocatur syncope, & latinè quoque sincopis dicitur, siue concisio, & hic fit à causa ualidiori; in quo pulsus ad ultimam paruitatem, tarditatem, raritatemque perducitur. In tertio gradu reponitur pulsus ablatus, asphixia Grecè dictus, qui quidem à causa adhuc potentiori suboritur, & morti omnium affectuum proximior, ab ea vnico diuiditur gradu. nam hunc absoluta tandẽ excipit mors, quę à causa omnium potentissima illata, caloris, qui in corde reperitur, ultima est extinctio, & subinde omnium terribilium ultimum, & præ

Gale. 1. de causis pul c. 6.

sentis

ſentis uitæ extrema linea ab omnibus eſſe perhibetur. Cum igitur duo priores affectus, lipothymia uidelicet et ſyncope ſint eiuſdem naturæ, & eſſentiæ, ſed differant ſolum ſecundum magis, & minus, ideo Gal. imitati. ad Glauconem c.14. & 12. met.5. & Auicennam li.3.F.11.T.2.c.6. & Paulum capite proprio, & cæteros omnes, in eodem Tractatu de ambobus promiſcue loquendo, utrumque proſequemur.

Lipothymiæ, ſyncopisque natura per definitionem explicatur, & omnes dubitationes, circa ipſam contingentes, planius è medio tolluntur. Cap. II.

Galen. 12. met.c. 5.& Auic. li.3. F.xi. T. 2. cap.6.

ET ad horum definitionem accidentes, dicimus pulſationē ualde, & confertim diminutam prout de lipothymia, & ſyncopi communiter prædicatur, nil aliud eſſe (vt inquiunt Gal. & Aui. quam pręcipitem uirium lapſum propter ſpirituū imminutionem, & eorundem repentinā aggregationē in cor. Verum ut definitio hęc clara & aperta reddatur: primo ſciēdū eſt ad hoc fiat ſyncope, uel licopſychia, neceſſarium eſſe, ut omnes uirtutes collabantur. nam ubi pulſatilis uirtus collabitur, cum hæc ſit cæterarū omnium radix, & fundamentum, ut ſup. ꝓlixo ſermone oſtēſum eſt, neceſſe eſt, ut omnes facultates deficiant ſiue animales ſint, ſiue naturales ſiue ex his mixtæ, magis, & minus, ꝓut etiā uis pulſatilis magis, & minus labefactatur, & imminuitur. nam pulſatili labefactata calor uitalis non moderatur, quia nec ipſi refrigerium, nec ſpiritibus alimentū, ſicuti prius, allicitur. calore deficiente, deficit de neceſſitate ſpirituum procreatio, nec non etiam functio iraſcibilis, & animoſa, & proinde omnes uirtutes, & operationes, quæ ab ipſo corde emanant, obleduntur. quibus obleſis cæteræ omnes nēpe ſenſibilis, atque motiua, ut inquit Auic. nec non etiam facultas ipſa nutriens ad pulſatilis læſionem proportionaliter læduntur. Cum enim cor principaliter afficiatur ſiue id per eſſentiam, ſiue per cōſenſum eueniat, neceſſe eſt, vt reliquæ virtutes, & principalia membra, in quibus conſiſtunt conſequenter, & ſecundario afficiantur. Quod cognoſcens Gal. dicebat

Gal. lib. de uſu pul. c. 2.& 3.

,, Cum enim non ab aliis ad cor, ſed à corde cæteris membris,
,, calor vitalis confluat, & ipſa vitali calore, & peculiari cordis,

tempe-

à pulsatili cet[...] facultates

temperie actiones ſuas perficiant; hinc fit ut cordis uirtute, & uitali calore pereunte reliquorum etiam membrorum actiones perire neceſſe ſit. iure igitur dictum fuit uicium hoc eſſe lapſum (virium) in plurali numero, quia non una, ſed omnes virtutes labuntur. Additum fuit (præcipitem) quia lapſus hic ociſſime fit, ad differentiam illorum omnium morborum, qui ſenſim, & pedetentim uires labefactant, donec tandem mortē inferant. Porrò dictum fuit uires quamprimū labefactari propter ſpirituum imminutionem, quoniam vires conſtant, & robuſtæ conſeruantur, quum ſpiritus ceu quoddam præcipuum uirtutis organum inculpati reperiūtur: hi enim ſunt, qui non modo cordis proprietates uiuificant præſertim ſecūdum operationes, quæ in corde celebrantur, uerum etiam p arterias potiſſimum in uniuerſum corpus diffuſi, cordis uires, & calorē influentem ſecum deferentes omnibus corporis partibus uitam, & calorem ſalutarē impertiūt, qui cū calorē innatum foueat, proinde ſpiritus ipſi omnes tum animales tum naturales functiones perficiunt, tuentur, & facultates ad agendum impellunt. Contra uero ubi in ſpiritibus uicium aliquod reperitur, uel in qualitate, uel in quantitate, neceſſe eſt, ut tum pulſatilis uirtus tum cęterę omnes detrimentum aliquod ſuſcipiāt. Vnde ſi de pulſatili facultate, & eius functione ſermo fiat; ſi uicium ſpirituum ſit in qualitate, ab ipſorum caliditate deprauatur, à frigiditate imminuitur. ſi uicium ſit in quantitate, hoc non poteſt eſſe in quantitate excedente, quoniam quanto ſpiritus erunt copioſiores, tanto melior, & robuſtior erit facultas & eius operatio. ſi uero ſit in quātitate deficiente, ut ſpiritus deficiant; & imminuti euadant interdum deprauatur, nonnūquam imminuitur. Si enim ſpirituū defectus non ſit magnus & nulla connectatur eorum aggregatio, ſeu ſubita ad cor retractio, deprauatur, ut in ſermone de palpitatione dictum eſt. Vbi uero ſpirituum imminutio, defectuſque fuerit notatu dignus, & adeo magnus, ut ob id quod reliquum eſt ſpirituum cogatur concentrari, & in cor aggregari, tunc pulſatio imminuitur, & admodum parua, tarda, & rara euadit. Siquidem propter ingentem ſpirituum, & caloris reſolutionem, & propter ſubitam eorundem aggregationem, & ad cor & partes intimas retractionem, ne dum facultas pulſatilis labefactatur, ue

rum etiam omnis ferè finis, propter quem facultas in corde uigens principaliter pulſabat, ſtatim aboletur. unde recreata poſtmodum facultate, ut cæteris corporis partibus influens calor, & ſpiritus, quemadmodum prius fiebat, ab ea communicetur, pulſatiuus motus rurſus paulatim modificatur. Et propterea in definitione præter ſpirituum imminutionem, adiunximus cum Auic. (eorundem aggregationẽ uiolentam in cor) manifeſtum eſt igitur quod in lipothymia, & ſyncopi vires collabuntur: quoniam ſpiritus tum deficiũt tum etiam in corde repente aggregantur; ut in membris extra cor, quemadmodum protulit Auic. non ſuperfluat ſpiritus ſuper illum qui eſt in cordis minera: et ob id ueluti ſemimortua cõcidant corpora ſyncopi correpta. Sed quæ nam huius repentinæ ſpirituum in cor aggregationis cauſa eſt? An cordis omnium membrorũ nobiliſſimi, & eiuſdem ſpiritus, caloriſque conſeruatio, atq; tutela? Hoc enim ipſius naturæ peculiare eſt, vt ea, quæ principaliora, & nobiliora ſunt, iugiter protegat. Vnde cum cor vitæ radix, & principium, ſpiritus autem, & calor animæ præcipuum inſtrumentum exiſtat, quid quæſo miri, ſi dum vrget neceſſitas, ſpiritus, & calor in cor, tanquam in arcem munitiſſimam ſtatim confluat, vt illud, & eius functiones tueatur, ipſe vero mutua vice ab ipſo corde conſeruetur? Verum illud nouiſſe nõn ſufficit, ſed ſupra finalem cauſam, efficiens præſertim aſſignanda eſt. quæ nam igitur erit huius motus ſpirituum ad interiora efficiens cauſa realis, atque legitima? Ex his quæ ſcribuntur à Galeno huius motus non vnicum, ſed triplicem motorem colligere licet. nempe validiſſimum cordis dilatatiuum motum, quo cætera membra fuere deſtituta: vehementiſſimum calorem, nec non eximiam occultam qualitatem: vi quorum in corde adeò robuſtiſſima cõſurgit attractrix, vt in hac cor cæteris omnibus antecellat. ſic enim habet Galen. Ipſum porrò cor omnibus, quæ in mentem cuiuis venire poſſunt, attrahendi facultatibus præditum arripiens, ac veluti exorbens, influentes materias citiſſimè ſuorum ventriculorum ſinubus excipit. Nam ſiue fabrorum folles ſpectes, quemadmodũ ipſi dilatari intro aerem trahãt, id omniũ maximè cordi ineſt: ſiue quo pacto ellychniorum flammæ oleum attrahunt, ne ea quidem caret facultate, cum

Auic. loco ſupra cit.

Gale. 6. de uſu par. c. 15. in prĩ.

,, ipsum caloris natiui sit principium. siue vt lapis hera-
,, clius qualitatis familiaritate ferrum attrahit. quid spiritu ad
,, refrigerationem cordi est familiarius? quid sanguine ad nutri
,, tionem vtilius? (addo ego. quid spiritibus pro cordis tutela
,, magis necessarium?) mihi quidem videtur vas aliquod fuisse
,, diuulsurum, cum omnibus simul vtitur attrahendi faculta-
,, tibus, nisi Conditor nostri, ne quid eiusmodi accideret. ad-
,, mirabile quoddam hic fabricatus esset subsidium. Ex quibus palam fit, eos non parum aberrasse, qui spirituum concentrationem in repentino timore obortam (is enim eius est naturæ, & potestatis, vt syncopem promouere possit, quoniam in eo tum spirituum suffocatio, & imminutio, tum eorum ad interiora retractio violenta concurrit) in facultatem expultricem retulerunt. Expultrix enim non quod benignum, & salutare, quemadmodum est spiritus, & sanguis, sed quod noxiũ, & inimicum est, procul expellit. Non secus falluntur, qui cõcentrationem spirituum in timore exortam in externum obiectum, tanquã in causam effectiuam, simpliciter referunt. nam externum obiectum non vt efficiens, sed prout apprehenditur à facultate cognoscitiua sub ratione mali, & timorosi, & proinde vt causa finalis, est in causa contractionis spirituum ad intimas partes. Quemadmodum enim illud, quod mouet vt appetibile, & concupiscibile mouet in genere causæ finalis, vt ex Aristotele colligimus, ita quod mouet vt noxium, & inimicum in eodem genere causæ mouere debet. Verum quoniam ex auctoritate Galeni malè intellecta quispiam dubitare posset, an in syncopi, & lipothymia spirituum defectus
,, perpetuò concurrat. nam Galenus asseruit ægrotantes tum
,, animo linqui, tum viribus resolutis esse, tum etiam mori a-
,, liàs spiritu ipso deperdito, aliàs alterato; aliquando ex parte
,, digesto; non raro hæc vtraque perpesso, vt videatur proponere causam alterantem, disiunctiuè loquens, separatam à corrumpente, & destruente. Ea propter animaduertendum est, quod quemadmodum à causa alterante remissa tamen, possunt quidẽ spiritus alterari citra corruptionẽ, sed tunc non sequitur lipothymia, vel syncope; (dicebat enim Galen. leues
,, cordis intemperantias virium dissolutionem aut syncopim
,, non excitare, sed pulsus tantummodo varietatem maiores ve

Aristo. 12. met. contex. 36.

Galen. 12. met. c. 5.

Gale. 5. de loc. aff. c. 2.

ro non solum syncopes verum etiam mortem ipsam inferre posse) ita à causa alterãte vehemēti, ratione cuius oritur præceps virium lapsus, non possunt spiritus citra propriam corruptionem alterari. cum enim eorum substantia calida sit, purissima, & tenuissima, hinc fit vt si patiantur à causa alterante vehementi secundum duas, vel etiam secundum vnam qualitatem, facillime propriam substantiam, & naturam amittãt. Quemadmodum etiam per ea quæ calida sunt, & tenuiũ partium, vt sunt vapores odoriferi, & potissimum vinum ipsum facillimè, & quantitissimè resarciuntur. ob id Gal. in qualibet syncopi, dummodo suffocationem ex ingēti plenitudine, aut insignem inflammationem non insequatur, pro spirituũ substantia reparanda vinum exhibet. & nos, dum timemus magnam aliquam visceris præsentis inflammationem, vel flammeam aliquam dispositionem, vtimur contuso, & destillato, acrea nempe carnis portione, pro spiritibus resarciendis.

Galen. 12. met. ca. 4. in prin. & circa finē.

Spũs quo ad uim, & formaliter ignei sunt, quo ad molē, et materialiter sũt aerei; nã ex iis cōstant ex q. b. nutriunt, sed ex aere, & sanguine, qui aerus est, restaurãtur, & sicuti aer ex corporum cœlestiũ attritionē in ignem migrat, ita aerea substãtia à proprietate, & calore cordis, & ab assiduo ipsius motu, in spiritus naturam transmutatur.

Præterea experientia conspicuum est neque ab ingenti febriũ ardentium caliditate, neque ab intensa hecticarum siccitate syncopim promoueri, sed solummodo ubi cum febre ardente connectitur transmissio biliosorum humorum ad os ventriculi, & ad partes neruosas; & ubi cum hæctica febre (vt inquit Gal.) associatur tabes (& per tabem intelligit ulcus pulmonis) vel destillatio ad pulmones: vel febris putrida, & obstructio. Eodem modo videmus in plerisque leucophlegmatia laborantibus à frigiditate, & humiditate pituitæ syncopim minimè cieri; sed solummodo ubi pituita sui viscidirate, & multitudine obstruendo, & comprimendo spiritus suffocat. Præterea plerique à collico dolore à pituita vitrea omnium frigidissima cruciati in animi deliquium non inciderunt: quod si quis eo fuit correptus, id ratione vehementissimi doloris contigit. Idem obseruare licet in maximo lienis tumore frigido, in caro, in apoplexia. à quibus dummodo non sint fortia, vt respirationem adimant, & spiritus suffocent, syncope non producitur. imo in apoplexia pulsus solet esse magnus, & vehemens in principio. Adhuc minus vbi causæ sunt externæ, id accidere obseruamus. namque in extrema ambientis frigiditate multi non cum syncopi, sed paulatim, & sensim fuerunt extincti. Et, quod est notatu

Gale. 1. ad glau. 14.

dignum,

dignum, id ea de causa prouenit; quia cum frigiditas sit agens per contactum primo agit in partes proximas, deinde in remotas, & propterea paulatim incipiendo ab extimis partibus, spiritus, & calorem extinguit, quousque ad intimas partes, & tandem ad ipsum cor perueniat: calor autem & spiritus à corde partibus extimis subinde non confluit, & subministratur, tum quia refugit suum contrarium, ambiens videlicet actu, & potentia intensæ frigidum, tum quia partes extimæ, & eius uiæ, meatusque ratione frigiditatis condensantur, & subsident, & propterea non sequitur syncope, quia non fit retractio illa subita spirituum in cor, quemadmodum vbi causa valde refrigerans spiritum, & calorem internum primo destruit. Nec obstat quosdam ob nimiam extremarum partium, vt manuum, & pedum frigiditatem, in lipothymiam incidisse, quia hoc ratione doloris potuit prouenire: præsertim quia passio partibus neruosis, & potissimum ventriculo solet communicari. nam frigiditas intensa cum densando continuum soluat, & ob id neruosas partes maximè vellicet, est valde dolorifica. Ex his quid colligimus? nil aliud profectò nisi causam, quæ tantummodo alterando syncopim promouet, vel lipothymiam, intensiori aliqua qualitate id præstare posse. Quod vbi concedimus, quì fieri potest, vt ab intensa caliditate spiritus non extenuentur, & digerantur: à nimia frigiditate non condensentur, ab ingenti humiditate non obruantur, & ab immodica siccitate non absumantur? Idcirco non est mirum si inter causas alterantes ab Auicenna, & ab aliis proponitur oppium, quia intense admodum refrigerat, & præsertim per os assumptum. nam tunc uentriculum ingreditur, & spiritus interni, cordique vicini facile corrumpuntur propter maximam vicinitatem, & inter cor & os ventriculi sympathiam. Vbi vero internus spiritus fuerit dissipatus, vt amplius in debita quantitate pro cordis functionibus obeundis non subsistat; spiritus, qui in partibus extimis, & in circumferentia consistit, ad intimas statim confluit: & fit syncope. Sed quid ad Galeni auctoritatem? procul dubio per causam alterantem, & per alterationem non intelligit alterationem simplicem, & à corruptione separatam,

hoc

hoc ſenſu videlicet,ut fiat tantummodo alteratio citra corruptionem,ſed voluit innuere ea cauſam corrumpentem , quæ per mediam,& præuiam alterationem corrumpit . Quod hoc ſit uerum paulo ſuperius in eodē capite inter cauſas alterantes enumerat quoque materias uenenorum, à quibus ſpiritus præter alterationem neceſſario deſtruũtur , & corrumpuntur ſecundum ſubſtantiam impoſſibile enim eſt à materia uenenoſa,quæ à tota ſubſtantia corpori noſtro eſt inimica, & vires habet humanas uires exuberantes,ſpiritus tantummodo alterari in qualitate,& non pati ſecundum ſubſtantiam . Ad hæc ſi ſpiritus alterati tantummodo, ut uerbi gratia refrigerati in eadem quantitate ſeruarentur, quæ nam ſubſequeretur neceſſitas, vt ſubito aggregarentur , non ne de neceſſitate ſuffocarentur ? non enim datur corporum penetratio. Statutum igitur ſit in omni ſyncopi , uel lipothymia ſpiritus in quantitare deficere magis, vel minus pro cauſæ uehementia . Huic noſtræ ſententiæ maxime fauet Auic. qui in tot cauſis ſyncopis quas enumerat,nec vllam quidem affert, quę ſpiritus quoquo pacto non diripiat, corrumpatque.nec nobis aduerſatur dum in fine capitis videtur intemperiem ipſam in medium afferre. quia per intemperiem non intelligit intemperiem ſpirituũ, ſed ſolidorum,quæ eſt in cauſa , vt ſpiritus in quantitate , & propria ſubſtantia deficiant . Verum circa aggregationem iunior dubitaret,utrum perpetuo in ſyncopi concurrat, propterea quod in ira, in vehementi gaudio,& ſimilibus apparet fieri totum oppoſitum . fit enim expanſio ad circumferenriam. Sed facile reſpondemus expanſionem non eſſe cauſam ſyncopis immediatam,ſed principalem ; namque præcedit quidem expanſio ratione cuius ſpiritus euaneſcunt,ſed deinde ſubſequitur aggregatio illa ſubito facta; quæ eſt cauſa ſyncopis immediata. Reliquum eſt igitur, vt pro exacta naturæ ſyncopis cognitione,declaremus quibus de cauſis ſpiritus deficiant. & hoc erit agere de cauſis ſyncopis,& lipothymiæ .

Galen. 12. met. c.5.

Cauſæ ſyncopis, & lipothymiæ. Cap. III.

DEficiunt itaque ſpiritus, uel quia ſubinde non reſtaurantur,& regenerantur (ut inquit Auic.) quemadmodum

reſol-

resoluuntur: Vel quia restaurati corrumpuntur. Non regenerantur autem vel lęsa facultate ipsorum generatrice, uel uicio obiecti. lęditur autem facultas dum cor patitur intemperiē notatu dignam, uel tumorem, uel obstructionem, uel solutam vnitatem: porro vicium est in obiecto, quotiescunque peccat in quanto, uel in quali. in quanto, vt dum deficit aer, & potissimum sanguis, ut euenit in atrophia, in fame naturali, in annonæ caritate. in quali vero, ut dum aer est admodum uitiosus, uel pestilēs, uel ēt sāguis fuerit prauus, & inæptus ut euenit in fame præter naturā, quæ fit in bulismo, nec non ēt in febre syncopali præsertim humorosa. Si vero spiritus restaurati, & regenerati corrumpantur id dupliciter contingere potest, Videlicet uel per præuiam alterationem, uel citra præuiā alterationem. si deficiant causa præuiæ alterationis, hęc alteratio potest fieri, ut dicebat Gal. uel à qualitate manifesta, uel ab occulta. quomodo deficiant ratione manifestæ alterationis, siue id fiat à causa insigniter refrigerante, ut ab opio, siue ab alia causa alterante superius fuit declaratum. si uero qualitas sit occulta, & uenenosa, hæc potest prodire uel ab externis, ut ex aere fœtido corrupto, & pestilenti, & cauernis fœtidis, ex feris uenenosis, uel etiam ex uenenis inanimatis siue bibitis, & assumptis, siue applicitis: uel ab internis, ut ex ueneno intus genito, præcipuæ ex semine, & sanguine menstruo in utero præter naturam detento. idem dicendum de ueneno in alia parte, uel in toto genito, ut in febre pestilenti contingit. Si uero citra præuiam alterationem corrumpantur; id à duplici causa peruenire potest, nempe uel suffocante, uel euacuante. Causa suffocans duplex est interna, & externa. Interna uel est materialis, uel dolorifica. Materialis dum aut opilatione suffocat, ut in syncopali humorosa: & præcipue si materia cum impetu feratur ad partes thoracis, & ad cor. quia cum spiritus non inuenit spiraculum extinguitur ueluti flamma ex superpositione alicuius operculi. Quod etiam contingit in apoplexia, & epilepsia, dum hæc, ut inquit Gal. malgniora sunt uel mole comprimit, ut in habitu athletico, in uteri præfocatione dum ad superiora præsertim, uel ad latera recurrit. Dolorifica uero, quia ratione doloris, natura, ut ait Gal. cum multo sanguine, & multo magis cum spiritibus, qui propter tenuitatem

Causę omnes colliguntur à Gale. 1. ad Glau. c. 14. & 12. met. à cap. 3. usque ad c. 8. & ab Auic. lib. 3. F. 11. Tra. 2. c. 6.

Galen. 12. met. ca. 5. ante med.

Gale. 1. ad Glau. c. 14.

Galen. 12. met. c. 5.

Auic. libr. 3 F. 11. Tr. 2. c. 6.

Gale. 1. ad Glau. c. 14.

Gale. 6. in sextum de uul. mor. com. 7.

magis

magis fluunt,ad partem dolentem,ut ei opem ferat, & doloris causam à se expellat, accurrit.vnde ꝓpter multitudinē,& loci angustiā spiritus suffocantur.pręcipuè si dolor occupet.ipsum cor, & subinde os uentriculi propter maximam communitatem: siue sit dolor grauatiuus,vt in uehementi cruditate,in bulimo; siue mordicatiuus à bile præcipuè eruginosa, à uermibus;uel extensiuus, ut intensione à flatu; uel grauatiuus,& extensiuus,ut in frigido tumore;siue ex his mixtus ut in eius erisipelate,inflammatione, & calido tumore,in principijs accessionum,præcipuè si supra modum squallidum, & siccum fuerit corpus,aut plenum:in maxima extremarum partium in accessionibus refrigeratione.Idem dicendum de tumoribus, & cæteris causis dolorificis hepatis,uteri,& aliarū partium. Vnde proponit Gal.dolorem uehemētem disenterium,iliacum, & collicum,& consequentem neruorum percussiones,& musculorum capitum, & maligna in articulis ulcera, omniaque gangrenosa,& depascentia.Causa autem suffocans externa est timor magnus, & potissimum repentinus; & mœstitia uehemēs.Causa euacuans & ipsa duplex est, prout uel sensibiliter, uel insensibiliter euacuat. Si sensibiliter euacuet potest esse quilibet fluxus immoderatus siue materiæ excrementitiæ, siue alimentalis,siue fiat per secessum, siue per os, siue per nares, per vterum,per hæmorrhoides, per partem vulneratam, vel apostematam, aut materia repletam & apertam intrinsecam, vel extrinsecam, siue per sudorem, siue per artificialem euacuationem, dum præsertim vehementior est, per purgans,vel clistere; vel alio modo. Si autem euacuatio fiat insensibiliter, hæc contingit propter causas internas, vel externas. Internæ sunt nimia corporis raritas, & nimia spirituum tenuitas. quod præsertim euenit, vbi succi biliosi, tenuesque redundant, vt in syncopali minuta. Externæ verò sunt animi accidentia, quæ ad extra spiritus mouent, vt ira, & gaudiū ingens,calor & æstus ambientis,hypocausti,balnei, in quib. pleriq; animo linquunt: nec nō corporis exercitatio immodica,violentaque: idem dicendum de intensissimis vigiliis,quæ spiritus magis inaniunt, quàm sensibilis euacuatio (dicebat Gal.) Hæc enim omnia habent vim extrahendi,rarificandi, & dissipandi. Verum circa distinctionem causarum

Gale.1. ad Glau. c.14.

Gal.loc.ci.

Gal.loc.ci.

Galen. 12. met.c. 5.

superius

ſuperius allatam, dubitabit quis, quia apparet ſemper ſpiritus corrumpi per præuiam alterationem: nam ſemper corruptionem præcedit alteratio ex Ariſtotele. Ideo animaduertendum ſermonem eſſe de cauſis, quæ ſunt ex uſu, & principalibus, ad quas remedia diriguntur. alteratio autem, quæ ſit in ſuffocatione, in euacuatione ſiue manifeſta ſiue immanifeſta nō eſt cā ex uſu artis, quia p̄ uiā ſequellæ ſupraſcriptas cauſas concomitatur. Verbi gratia ſpiritus non euacuantur, quia alterantur, ſed contra alterantur, & ſubinde corrumpuntur, quia euacuantur. Rurſus inſtabit quis in letitia, in exercitio uiolento, non ne ſpiritus calefiunt, & attenuantur? hoc concedendū eſt, ſed talem calefactionem non ſubſequitur ſyncope, ſed talem motum peculiarem letitiæ, exercitijque conſequitur; quorum proprium eſt ſpiritus expandere. nam ſi caliditas per ſe ipſam eſſet cauſa expanſionis, & diſſipationis in ardentibus febribus expanſio, & ſyncope multo magis ſuboriretur. nos uero dum propoſuimus ſpirituum corruptionem per præuiam alterationem, Tunc cauſa principalis & ex uſu eſt alteratio. Ad hæc aliquis dubitare poſſet, quia apparet in omni ſyncope concurrere ſpirituum ſuffocationem, non autem in ea tantummodo, quæ fit ratione timoris, doloris obſtructionis, uel conſimilis. nam ſpiritus ſemper ut fuit propoſitum retrahuntur ad cor. at in illa ſubita aggregatione neceſſe eſt, ut aliqua fiat ſuffocatio. quod ex eo depræhēditur, quia in qualibet ſyncope & ſi non ſemper utimur ligaturis, & frictionibus, attamen ut reuocentur à paroxiſmo, ægrotantes alta uoce uocamus trahimus per nares, per aures, per capillos, ut ſpiritus ad extra reuocētur. Ideo animaduertendum, quod ubi deficit determinata illa quantitas ſpirituum quæ requiritur pro functionibus cordis rectè obeundis, retrahuntur quidem in cor, ſed non omnes, quia portio aliqua remanet etiam in partibus extimis, & in circunferentia, nam arteriarum pulſatio licet obſcure tamē percipitur. Et ſi nullus appareat pulſus, maxima, & fere extrema (ſtāte uita) ſpirituum diſſipatio facta eſt. ſed ut plurimūm ſpiritus retrahuntur ad cor ſecundum maiorem partem: quare uel nulla fit ſuffocatio, uel leuis eſt. modo ad obiectionem concedendum eſt poſſe fieri aliquam ſuffocationem, ſed hæc ſuffocatio inſequitur aggregationem, & ad

Ariſt. 1. de ortu.

O hanc

hanc non diriguntur auxilia præcipua, & præseruatoria. nos uero dum loquimur de causis, ui quarum spiritus deficiunt, & fit syncopis debemus proponere causas defectus spirituum antequam fiat aggregatio, quæ sunt in causa illius aggregationis. & hæ possunt esse non modo suffocantes, uerum etiam spiritus quocunque modo, corrũpentes, & inanientes. Postremo circa causas sciẽdum vnam & eandem numero causam, prout uim complexam retinet, posse diuersimode spiritus dissipare. ,, Exempli gratia dũ propter nauseatiuam satietatem (ut inquit ,, Auic.) & malitiam digestionis, praua materia multiplicatur: ,, hæc non modo spiritus suffocare potest sua multitudine, & ,, opillando, uerum etiam spirituum regenerationem prohiben ,, do. namque (ut ait ipse corpus priuat nutrimeuto, quoniam ,, opillat uiam nutrimenti boni, & non uertitur per se ipsam in ,, alimentum, quia ab ipsa natura uinci non potest. Quod si in ,, ore uentriculi multiplicetur, & colligatur, ut in bulismo, ad ,, huc magis spiritus deperduntur propter angustiam ipsius, & ,, grauitatem, Quam quidem sententiam à præceptore Gal. de ,, sumpsit, qui ita scriptum reliquit. Porro memoratus crudorũ ,, humorum affectus, si & copia hi uires præmant, & propter ,, tum multitudinem tum crassitiem exiguos animalis meatus ,, obstruant, multis nominibus exitialis est, ac syncope opportu ,, nos reddit, nempe, & quod animal sub eo nõ nutriatur, & suffocetur, ,, & quod mediocritas temperamenti alteretur, & cor ,, rũpatur. Pariter cordis intẽperies ualida, cordis tumor, soluta unitas spiritus exhauriunt tum alterando, tum suffocãdo, tum ne regenerentur prohibendo. Venenum quoque spiritus multipliciter corrumpere potest: Videlicet euacuando, alterando, suffocando, quia natura quemadmodum dictum est, ut expultrici auxilietur ad partem ueneno obsceßam spiritus, & sanguinem mittit. idem de plerisque alijs causis statuendum est.

Auic. li. 3. F. xi. Trac. 2. c. 6. ante medium.

Galen. 12. met. ca. 5. circa finẽ.

Imminutæ pulsationis differentiæ. *Cap. IIII.*

DIfferentiæ capiuntur à forma, quia pulsatilis uirtus, & eius functio uel paulatim, uel confertim labitur, & imminuitur, & dum statim imminuitur id accidit uel magis, & uehementius. & fit syncope, uel minus, & non ita uehemẽter,

& ori-

& oritur lipothymia. & ab effectrice causa prout hæc spiritus dissipat interdum alterando, nonnunquam suffocando, aliquãdo euacuando sensibiliter, uel insensibiliter. & potest esse interna, & ab hac cor interdum patitur per essentiam, dum scilicet agit non solum in spiritus ipsos, uerum etiam in ipsum cor, ut accidit in cordis intemperie, mala compositione, & soluta vnitate; nonnunquam patitur per consensum, dum scilicet causa agit tãtummodo in spiritus tanquam in præcipuum facultatis organum. & dum afficitur per consensum, hic fit uel à toto, uel à parte. & si à parte uel à ventriculo; uel à materię, uel ab alia parte. sed vt plurimum fit per consensum à uentriculo. Cur autem vẽtriculus, & potissimum orificium eius supernum passiones suas facillime cordi communicet in sermone de ablata respiratione explicatum fuit. Vnde notat Aui. q̃d si quis in phlebotomia incidat in syncopẽ nõ propter superfluam euacuationem, neque propter timorem, quia uide licet sit assuetus, id euenire posse tũ propter debilitatem oris ventriculi tum propter effusionem rei ad ipsum. Auic. cap. cit. in fine.

Diminutæ Pulsationis, nec non sincopis, & lipothymiæ Signa. Cap. V.

PVlsatio diminuta in genere ex eo facile deprehenditur, quia semper pulsus minor, & rarior, & interdum etiã tardior obseruatur. Verum si propter usus remissionem imminuatur, paulatim potius, & non ita in extremo talis euadit. cõtra, dum imminuitur propter resolutionem facultatis, confestim, & in extremo imminui solet. & quemadmodum in resolutionę facultatis raritas ultimo loco subsequitur (nam sola frequentia imbecillæ facultatis est comes) ita in usus remissione raritas prima in ordine pulsum comitatur, nam facultas dum unico pulsu usui satisfecit, ipso diminuto, frustra pulsum tam cito repeteret: secundo loco tarditas accedit; ultimo paruitas. Et hoc est intelligendum dum pulsatio ex moderata imminuta euadit, & facultas non est debilis. nam si fuerit imbecilla & à pulsatione deprauata ad moderatam trãsitus fiat, tunc ad usus remissionem, omnes eodem tempore subsequuntur, quia statim una cum crebritate & magnitudo, & uelocitas

quia sunt difficiliores, & laboriosæ, abijciuntur. Cum autem remittatur usus propter superuenientē frigiditatē, hæc cognoscitur ex notis indicantiibus natiui caloris penuriā, ex ætate senili, pigritia ad actioes animales, inediæ tolerantia, ex ægritudinibus infrigidantibus, ex euacuationibus, calorem natiuū extinguentibus. Ad hæc in intemperie frigida cordis, quæ sit morbosa pulsus, (vt dictū est) rarus, tardus, & paruus existit, similis respiratio, nulla adest sitis, supfluitas in pietate, & misericordia cōnecti solet, frigida nocēt, calida iuuāt, pgressæ fuere causæ refrigerantes. & dū nimis excedit frigiditas partibus similaribus inuritur. Si vero materia frigida (in parua tamen copia) vt vapor aliquis frigidus cordi communicetur, ex his quæ tradita sunt de signis causarum motus cordis deprauati facile cognoscitur. Si autem imminuitur pulsatio propter labefactatam facultatem, & ocyssime id contingat vt fiat lipothymia, vel syncopes, præter pulsum, qui admodum rarus, & paruus persentitur (nam de tarditate non est loquendum, quia in tali pulsu est omnino imperceptibilis) cognoscitur ēt ex aliis symptomatibus apparentibus, siue sint affectus, qui sunt in corpore, vt ex palliditate, & frigiditate faciei, & totius corporis: siue actiones ipsæ læsæ, veluti ex ablato sensu, mēte, & potissimū motu, vt corpus veluti eneruatū iaceat: seu illa, q̄ iam dicta consequuntur, veluti sunt ea, quæ excernūtur, vt ex sudore, seu rorida quadam; & frigida humiditate potissimum frontis, & temporum, nec non ceruicis, thoracisque. Ideo dicebat Gal. Si sudor appareat solū in fronte, si calidus sit, immi net syncopis, si frigidus actu adest. hic. n. sudor excretus actionem læsam, retentricē videlicet labefactatā cōsequitur, nā partes calore destitutæ propriā humiditatē alimētalē haudquaq̄ retinere valent. Et quemadmodū sudor hic frigidus syncopis inseparabilis existit, ita lipothymiā non necessario comitatur. in hac. n. non adeò vires labuntur, nec ad hoc deuenit calor, vt penè extinguatur, quo fit vt in ea animalis ipsa virtus minus lędatur: & aliquomodo loqui possint. In syncopi vero penitus immobilis redditur os, & lingua, mens vero, sensus, & vigor omnis ex toto abolletur: vt nullus sit affectus qui mortis similitudinē æquè præseferrat, ac syncopes ipsa pſertim vehemēs. & ex hoc distinguitur ab apoplexia, & reliquis cerebri soporiferis affectibus, quia hi non mortis, sed potius somni, qui mor-

Gal. 1. prognost. tex. com. 16.

Aer. lib. 5. c. 101.

tis

tis imago quædã est, speciem, & imaginem referunt. apopletici enim veluti dormire, sed cum stertore, videntur, nã facies sicuti prius erat persistit, & pulsus ferè consuetus seruatur. in syncopi vero ut dictum fuit hæc ambo maximam subeunt mutationem. & respiratio ipsa saltẽ quo ad sensum adimi solet. ad hæc qui syncopim patiuntur post paroxysmũ casus reminiscuntur: apoplectici aũt penitus non recordantur. Dñiæ, quæ desumuntur à causis spiritus inanientibus, & quocunq; mõ diripientibus facilè cognoscuntur ex his q̃ tradita sunt de signis causarũ palpitationis. s. n. fuerint externę ex assidentiũ, & (dum possunt loqui) ex ægrotãtium relatione innotescũt. si sint internę. Si verbi gratia sint in causa, vt spiritus, sicuti prius non regenerentur, vel ẽt geniti corrũpantur per p̃uiam alterationem, signa intẽperiei calidæ cordis in tractatu de palpitatione, frigidæ vero ẽt in p̃senti capite fuere ꝓposita. idem de reliquis causis dicendũ est, oportet. n. earũ oĩum iudicia diligenter ꝑcurrere. Exempli gratia causa suffocans dum est interna si sit dolorifica dolor vehementiss. magis q̃ par sit seipsum manifestat. Si sit materialis vel p̃cessit cibus immodicus & intempestiuæ cõgestus, vel retenta fuit aliqua consueta sanguinis euacuatio, vel p̃cessit permutatio aliqua alicuius materiæ ab aliis mẽbris vt à pulmone, vel aliis partib. ad ipsũ cor. & patiens p̃sentit cor veluti suffocari: & pulsus p̃sertim ante, & post accessionẽ est ꝓfundus, & si cũ profunditate imbecillitas associetur lethalis est. Similiter maxima crudorũ humorũ copia, quæ obstruendo, & cõprimendo febre syncopalem humorosam excitare solet, ex eo cognoscitur, quia vnà cum oris
„ uentriculi offensione his p̃cordia inflata, & totum corpus am
„ pliori mole, quã pro naturæ mõ cernitur. & eorum color albi
„ dior hydrope laborantib. similis, vel ẽt liuidior, aut plũbeus
„ euadit: & hi oẽs pulsus minores, q̃ pro caloris rõne, necnõ ob
„ scuros, oĩnoq; inæquales edere cõsueuerunt. & hæc inæquali
„ tas, vt refert Gal. semper in ea quæ in vno pulsu est, sæpe vero
„ in collectiua dicta inæqualitate consistit. si vero fiat syncopis Galen. 12. met. c. 3. in princ.
„ ex membri principalis obstructione, vt inquit Gal. noscuntur
„ huiuscemodi obstructiones cum ex aliis inæqualitatibus pul Galẽ. 1. ad Glau. c. 14. circa finẽ.
„ suum: tum ex his p̃cipuè, q̃ s̃m magnitudinẽ, paruitatem, ac
„ vehementiam, & debilitatem fiunt præsertim vbi nimia ple-
„ thora nõ adsit; nã istius quoq; cões sunt. si vero syncopes à cã

euacuante promoueatur pulsus erit admodum paruus & valde diuersus.& si euacuatio sit sensibilis alijs nō eget indicijs. si causa fuerit insensibiliter euacuās & interna, ut succi biliosi, Tenuesque redundent, ut in febre syncopali minuta contingere solre, tunc adsunt propria syncopalis minutæ, & biliosi humoris redundantis signa: & in huiuscemodi affectu Hippocratica facies celeriter apparet, quamuis ægrotantes neque multum excreuerint, neque multum uigilauerint, neque tristes, aut inedia affecti fuerint. Et quoniam fit syncopis, quia cor interdum proprio affectu, interim per consensum laborare solet. Ideo tum cognoscimus ipsum cæteris partibus consentire, quum earum primo affectarum indicia, ac symptomata quædam syncopem antecesserint. Quemadmodum si præcedat febris pestilens patitur cor per consensum à toto, si menses fuerint suppressi, & retentum semen passio procedit ab utero. ita si affecto ore uentriculi syncopes consequatur, quæ stomatica dicitur, uomitus, nausea, aut dolor eiusdē partis, seu morsus quidam præcessit. idem de reliquis dicendum. Quod si nullum præcesserit signum alicuius partis affecte, nec immodica aliqua animi affectio, cor primario oblæsum esse opinandum erit. idque multo magis si signa alicuius uicij in corde existentis, de quibus in sermone de palpitatione dictum fuit, nobis apparebunt. In quorum numero sunt, ea, quæ ab Hippoc. proponuntur, dum inquit qui sæpe, & uehementer exoluuntur sine causa manifesta, ij repēte moriuntur: dum enim in corde affectus fortis, & fixus constiterit, syncopes frequenter excitatur.

Hip. i. prognost. tex. 6. & 7. Gal. 1. progn. tex. & com. 8. & 12 met. c. 6. post pri.

Hipp. 2. aphor. 41.

In lipothymia, & syncopi quid nam præsagiendum sit. Cap. VI.

DVm imminuitur pulsatio propter usus remissionē pro causæ diuersitate diuersimode prognosticandom erit. Vnde si sit intemperies frigida, si sit notatu digna ægerrime, & uix curari potest. Nam quemadmodum frigida uentriculi, uel alterius partis intemperies potest tolli in uirture caloris sibi à corde demandati in uirtute præsertim calidorum medicamentorum, quæ parti frigidæ applicita habent uim tum attra-

Auic. c. de trem. cordis. cit.

attrahendi calorem substantificum à partibus calidioribus, & potisſimum ab ipſo corde natiui caloris promptuario, tum exiguum calorem, qui in parte frigida repetitur, augendi, & roborandi. ita corde refrigerato impoſsibile eſt, ut ſupra uim medicamenti calorificam, ab alia corporis parte, calor aliquis ei communicetur. nam iecore calidiſſimo cor frigidisſimum calidius eſt. Si verò imminuatur propter labefactatam facultatem, & confeſtim id accidat, & in extremo, uicium eſt magni momenti, quia maximam cum morte affinitatem habet, attamen, ſi ſit lipothymia minus periculoſa eſt, magis ſi fuerit ſyncopes, adhuc magis pniciosa erit pulſus ablatio, & aſphyxia. Peſſima aũt eſt illa ſyncopes, in qua uiridis faciei color obſeruatur; caloris enim extinctionem ſignificat. Simili modo ſi huius mali cauſas perpendamus, quædam ſunt minus, quædã magis deteriores, quędam, omnino, & de neceſſitate lethales. Nam cordis tumor, ut inflammatio, eriſipellas, ſoluta unitas, ut dictũ eſt in ſermone de palpitatione omnino lethalia ſunt. Intemperies & ipſa ſi ſit in habitu non poteſt tolli ſi ſit in habitudine difficillime remouetur. imo intẽperies quælibet ſyncopim inducẽs ferè irremouibilis exiſtit, quia de neceſſitate fortis, & uehemẽs eſt. Ideo licet à paroxiſmo uindicẽtur ægrotãtes, nihilominus non poſſunt adeò præſeruari, quin rurſus incidant in eum præſertimque ſi ſicca fuerit intemperies unde dum in febribus ardentibus, & colliquatiuis oritur ſyncopis nulla relinquitur ſalutis ſpes, quia ſiccitatem illam amouere eſt impoſſibile. dum uero non poſſunt præſeruari ſequitur quod dixit Hip. „ quicunque fortiter frequenter, & ſine „ cauſa manifeſta exoluuntur repente moriuntur. Quod ſi ſpiritus regenerati corrumpantur per præuiam alterationem, quæ fiat à cauſa uenenoſa, ut plurimum cauſa hæc præſidijs nõ cedit, ideo ſumè periculoſa eſt. nam ab occulta proprietate cordi & uitæ fundamẽto aduerſatur. ideo uenenũ efficax nullo mõ expugnare ualemus. ſi uero alteratio fiat à materia, uel aliquo medicamento, aut ab alia cauſa primitiua multo minus ęgre tollitur, quam ſi fiat ab intemperie. idcirco dum deficiunt ſpiritus ratione cauſæ ſuffocantis, uel euacuantis, & cauſa hæc ſit materia uel pituitoſa, uel bilioſa malum poteſt eradicari. Quantum ſpectat ad dolorem, & fluxum, ſeu ſenſibilem

Gale. 5. de loc. 2.

Galẽ. 5. de loc. c. 2. & Auic. lib. citato.

Hipp. 2. aphor. 4.

bilem euacuationem prout diuersa erit horum symptomatum uis diuersimodè præsagiendum erit. Verbi gratia si ex perforatione abdominis oriatur syncopes nulla relinquitur spes salutis. si causa insensibiliter euacuet, ut solet esse cā extrinseca ut ingens gaudiū,& reliqui animi motus ad uim irascibilem pertinentes, uti est etiam timor uehemens, & repentinus licet hēat potius uim suffocādi; Tunc dicebat Gal. quod si quis incidat in syncopim ob timorem, uel aliū ex iā dictis „ animę affectibus, si patiens sit fortis, & magnanimus nūquam „ succumbet, quia eius animæ robur ualidum est: affectus uero „ non est adeo uehemens. Quod si malum fiat per essentiam, ita vt causa non modo agat in spiritus, uerum etiam in cor procul dubio data in cæteris paritate uicium est magis perniciosum, quam ubi oritur per consensum. ita dum fit per consensum maius imminet periculū dum, cęteris paribus fit per consensum à toto, ut in febre syncopali, in febre pestilenti: quàm si fiat per cōsensum ab aliqua corporis parte. nam quemadmodum ualde periculosa est syncopes illa, quæ ab extenuato spiritu, & sanguine ortum ducit, præsertim ubi totius corporis retentrix facultas fuerit debilis, expultrix uero immoderatius concitata, ut in syncopali minuta contingere solet: ita prorsus exitiosa est illa, quę corpore crudis succis obstruētibus, & suffocantibus referto generatur, ut in syncopali humorosa fieri consueuit: imò si pulsus his paruus admodum, dicebat Gal. in „ firmusq; sit, aut etiam supra hæc uehementer inæqualis scire „ licet extremū periculum esse. Similter si succi non modo cru „ di sint, sed etiam eo corruptionis peruenerint, ut concoqui ad „ perfectionem non queant, desperata salus est. Similiter dum „ in syncopali minuta iecur, uel vētriculus phlegmone laborat mortiferaque, & Hippocratica facies apparet in qua oculi sūt caui, nasus acutus, aures frigidæ, tēpora collapsa, & cutis frontis dura, ex Hip. & Gal. sententia malum pestiferum est, dum modo ægrotantes per aluum nō multum excreuerint, neque uigilauerint, nec tristes, aut fame affecti fuerint, quia tunc minus malum est. Tandem si fiat per consensum à parte magis periculosa est syncopes si fiat per consensum à cerebro, minus si ab hepate, adhuc minus si à uentriculo. minus enim periculosa est syncophis, quàm si ab aliquo trium principiorum

Gal. lib. de loc. cit.

Galen. 12. meth. c. 3. ante med.

Hip. 1. prognost tex. 6. & 7. Gal. in cō. & 12. met. c. 6.

fuerit

fuerit excitata dicebat Gal. minus mala est adhuc hysterica syncopes, quæ fit per consensum ab utero. Quod si ex phlegmone alicuius ex dictis partibus exoriatur Gal. teste, prorsus exitiosa censeri debet, si uero citra phlegmonem stomaticæ, uel hystericæ syncopes fiant, magna ex parte curationem admittunt. Gal. 12. meth. c. 3. Galen. 12. meth. c. 6.

Quæ nam intentiones in lipothymia & syncope sint hauriendæ. Cap. VII.

INdicationes cum à rei natura proficiscantur, & in definitione dictum sit vires labi propter spirituum imminutionem, & eorundem repentinam aggregationem in cor; idcirco ad huius symptomatis causas oculos dirigẽtes, sancimus scopos elici delere à spiritibus, à causis ipsos imminuentibus, à causis eosdem aggregãtibus, & ab ipso corde. Horum autem, ut unicuique patere potest, quædam sunt exactæ secũdum naturam, & omnimodam conseruationem exposcunt, ueluti sũt spiritus & cor. quædam sunt penitus præter naturam, & eradicationem expostulant sicuti sunt causę, quę spiritus quomodo corrumpunt, atque diripiunt. quædam partim naturales, partim præter naturam existunt & partim conseruanda, partim corrigenda, quemadmodum sunt causæ spiritus ad cor repente aggregantes. Hæc enim aggregatio repentina, si consideretur prout simplciter aggregatio est, ut sic pendet à corde, & proinde à re secundum naturam, cor enim est illud, quod, quemadmodum, ex Gal. mente statutum fuit, spiritus ad centrum mouet. si vero consideretur in quantum repentina hoc pacto causam redolet præter naturam, à qua cordis attractrix ad spiritus aggregandos præter naturam impellitur. & hęc duplex esse potest videlicet interna, & externa. interna est eadẽ quæ spiritus imminuit, atque corrumpit: ob id enim spiritus repente & violento quodam modo à corde aggregantur quoniam valde imminuuntur. Externa vero potest esse timor subitus, vehemensque, à quo cum sit externus, & non habeat esse permanẽs nulla ex arte desumitur indicatio. Quare ex hoc discursu manifestum est à tribus & non à pluribus, neq; paucioribus, intentiones hauriendas esse, nempe à spiritibus, à

causis eos imminuentibus, & ab ipso corde. Si igitur spiritus perpendamus, cum hi bene se habere dicantur, & optimè dispositi, cum debitam mensuram seruant, in qnantitate, qualitate, & motu; propterea relicta qualitate, quæ ad rem non pertinet, & de qua in sermone de palpitatione dictum est, debemus considerare quantitatem, & motum, siquidem proposita fuit eorum imminutio, & concentratio; quare ratione quantitatis imminutæ spiritus se indicant restaurationem, & proinde auxilium addens, nam ex Hipp. sicuti medicina est snbtractio rerum præter naturã, ita est adiectio rerum, quæ sunt fm naturam. ratione autem motus ad centrum per se indicant reuulsionem ad circunferentiam. dictum fuit per se indicare auxilium addens, et auxilium reuellens, qm̃ ex accidenti spiritus imminuti possunt indicare auxiliũ subtrahens, & imminuens, & concentrati possunt præscribere p̃sidium ad centrũ mouens. Nam spiritus imminuti ex se perpetuo indicant auxilium restaurans, vel addens, & qm̃ simile nutritur ex simili, quemadmodũ est apud Arist. ideo indicãt alimentum tenue, & vaporosum. nam quemadmodum à solidis particulis (vt declarauit Galen.) indicatur solidum alimentum, à carnoso genere mediocrem habens consistentiam, ita à spiritibus tenue, & vaporosum alimentum præscribitur. Hoc autem alimẽtum cum ex duplici materia debeat esse conflatum aerea videlicet; et sanguinea, proptetea si de aerea sermo fiat hæc in spirituum corruptione, & imminutione perpetuò necessaria est, & ideo odoramenta. præcipue tenuium partium siue calida, siue frigida, vt ex aromatis, & aceto prodeuntia, vt aeri maiorem exhibeant penettationem (labefactata.n. cordis dyastole difficilius in cor attrahitur) assiduo cõmoda snnt. mareria aũt sanguinea non semper indicatur, qm̃ si spiritus corrumpantur à nimia sanguinis copia suffocante licet per se ex sanguinea materia reparentur, attamen ex accidenti, prout cõtingit ipsos à nimia plethora suffocari, indicant auxiliũ minuens sauguinem, qm̃ detracta nimia sauguinis mole suffocante, qđ reliquum est sanguinis præsto est pro spiritibus renutriendis. in reliquis causis quamuis suffocantes sint, vel ẽt febrem syncopalem humorosam producant, perpetuo præter portionem aeream, indicatur etiam materia sanguinea, & proinde materia ali-

Arist 2. de gñatione.

Galen. 11. met. c. 3.

ria ali-

ria alimentalis quæ quam citisſimè in ſanguinis naturam abire queat, veluti ſunt vinum, contuſum, & ſimilia. At vero motus ſpirituum ad partes intimas quatenus repentinus, & quodammodo violentus ex ſe indicat auxilium reuellens, & modo magis modo minus validum prout maiori, vel minori cũ impetu retrahuntur, & pro ratione cauſæ cuius occaſione à corde concentrantur. Verbi gratia ſi cauſa ſit ſuffocans indicatur auxilium reuellens ualidum, imo ſi ſit timor, vel nimia plethora, validisſimum. verum ſi contingat ſpiritus concentrari, quia imminuantur ratione cauſæ euacuantis, interdum indicatur auxilium ad extra reuellens. Verbi gratia ſi euacuatio ſit ſenſibilis & fiat per determinatas partes, ſi fiat per partes inferiores vt per vterum, vel ſedem, indicatur auxiliũ reuellens, ſed partibus ſuperioribus admotum, ſi fiat per os, uel per nares, & ſumatim per partes ſuperiores, hoc reuellens auxiliũ debet partib. inferiorib. admoueri. Sed ſi altera ex parte contingat ſpiritus exinaniri per omnes uel ſaltem per plures corporis partes, & per ambitum totius, corporis, ſiue euacuatio ſit ſenſibilis, ut in ſuperfluo ſudore ſiue ſẽſibilis, ut in inędia immodica, in nimia ſpirituũ tenuitate, & bilioſorũ humorum redundantia, aut nimia texturæ raritate contingere ſolet, tunc non modo auxilium reuellens fugiendum eſt, quia magis põt cã ſpiritus euacuans ad prohibendum, quam ſpirituum repentina aggregatio ad iudicandũ, verum etiam ab hac cauſa inaniente indicatur auxilium repellens quod quidẽ habet vim refrigerandi, denſandi, incraſſandi, & ſubinde ad centrum repercutiendi. Quantum ſpectat ad cauſas ſpiritus imminuentes pro earum diuerſitate, diuerſi ſcopi erunt poſtea eliciendi, vt in ſecundo libro in proprio capite colligere licet. Verbi gratia ſi ſpiritus non regenerentur propter læſam facultatem, & lædatur facultas propter cordis intemperiem per contrarium alterare oportet. ſi vicio obiecti, & vicium ſit in quanto indicatur probum alimentum, ſi ſit in quali, quia corpus ſcateat vicioſis humoribus, & hi crudi ſint, & pituitoſi, vt in buliſmo, & in febre ſyncopali humoroſa euenire ſolet, exhibenda ea quæ naturæ concoctionem adiuuare poſſunt humores adæquando, & impedimenta remouendo, attenuando, derigendo, & calefaciendo. Si ſpiritus regene-

rati corrumpantur per pręuiam alterationem,& alteratio fiat à causa venefica, hæc requirit auxilium bezaarticum, hoc est venenis aduersarium modo alexiterium, modo alexipharmacum, pro causæ veneficæ diuersitate, sed semper cordi amicũ & familiare, quia semper lęditur cor. si uero corrumpantur citra præuiam alterationem, si id accidat ratione causæ suffocantis, si sit materia copiosa indicat auxilium minuens, dolor autem indicat auxilium obtundens sensum. fluxus auxilium astringens, & sic de cæteris euacuantibus statuendum. & de texturæ raritate, quæ indicat auxilium densans. Denique sunt præsidia, quæ capiuntur à corde tanquam ab affecta parte, nam cor semper læditur in hoc malo, vel per essentiam, vel per consensum vt dictum est. cor autem sui conseruationem, & proinde sibi similia exigit, quæ siue indicentur, vt dum ratione temperaturæ, & cordis caloris vtimur moderate adstringentibus, vt calor roboretur, & non ita facile dissoluatur: siue requirantur, veluti dum gratia occultæ nobis proportionis, à qua tum pulsatilis, tum cæteræ omnes cordis proprietates emergunt, vtimur auxiliis non ratione, sed experimento cordi similibus comprobatis, quæ cordialia ab auctoribus vocantur; de his in secundo libro & capite proprio mentionem fecimus, & ideo non sunt inaniter repetenda. Verum si quis exactam, & omnibus numeris absolutissimam medendi methodum expetit, legat ea, quæ de hac re, à præclarissimo Hieronimo Capinaceo tradita fuere. is enim Pataui, & Patauinæ Academiæ decus, splendorque, omnia, quæ in medica facultate recondita erant produxit, & explicauit, obscura illustrauit, dubia confirmauit, probabilia demonstrauit, verũ, & optimum Hippocraticorum, Galenicorumque conceptuũ intellectum, & verborũ vim declarauit: & summatim quidquid humanitus in hac tam ardua, & aliarum omnium difficillima scientia desiderabatur, disertissime edocuit; & quasi alterã Euridicẽ Medicinã vniuersam ab inferis ignorantiæ tenebris, in lucẽ solus huius artis Orpheus reuocauit: & totius ferè vitæ suæ curriculo nouos semp, & indefessos ꝑpessus ẽ labores, vt audientiũ animos indeficienti eruditione locupletaret. & hæc de illo, nõ quidẽ satis, sed ꝓut ad rẽ ꝑtinere videbatur, dicta sint. nã si in omnib. aliis (qđ scio) defecero; saltẽ in

hoc defeciſſe nolui, vt loquens de artis indicationibus illum, qui indicationes, veluti in angulo latitantes, apertiſſimè indi cauit, non indicarem.

Lipothymiæ, & ſyncopis curatio. Materia chirurgica. Cap. VIII.

QVantum attinet ad præſidiorũ iã propoſitorũ materias, ijs prætermiſſis, quæ diriguntur ad pulſationem paulatim imminutam (nam hæ ex traditis in ſecundo libro, & potiſſimũ in cura intemperiei frigidæ colligi poſſunt) animaduertendum nos in præſentia eſſe acturos præſertim de curatione ſyncopis, & proinde de materia medicinali, quæ reſpicit ſyncopem præſentem, nec non etiam de præſeruatione, & proinde de præſidiorum materijs, quæ reſpiciunt ſyncopem imminentem, ſed non quocunq; modo, ſed in ꝓximum imminentem, & niſi occurramus cito futurã. dum autem periculum eſt ne ſyncope reuertatur, ſed nõ proxime, & malũ ita ꝑbet inducias, ut regulari ꝑſeruatione uti liceat, de hac præſeruatione nõ eſt loquẽdum, quare patet ex his, q̃ in 2. lib. de cura palpitationis dicta sũt. quare dũ loquemur de curatione, ea remedia ꝓponẽda erunt quæ potiſſimũ reſpiciũt ſpiritus imminutos, & violenter aggregatos. dum aũt loquemur de ꝑſeruatione ne dum materias præſidiorum quæ reſpiciunt ſpirituum conſeruationem, uerum etiam cauſas, quæ adhuc ualidæ permanentes ſpiritus actu, & inſigniter imminuũt, in mediũ afferemus. Remedia uero, quę diriguntur ad cor, & cordialia uocantur, in cura palpitationis ſunt petenda. Si igitur de materia chirurgica ſermo fiat. Quantum attinet ad uenæ ſectionem, ſi ſyncope promoueatur à nimia plethora ſuffocãte, ſiue ſanguis ſit ſimpliciter copioſus, ſiue etiam prauus, qualis redundare ſolet dum menſes ſunt ſuppreſſi, & ui ſuppreſſionis malum oriatur, oportet etiam ſi ſint in acceſſione uenam ſecare, adeſt enim non modo graue, uerum etiam grauiſſimũ ſanguinis peccatum, quia actu malum uehementiſſimũ nimia mole producit. & ſanguis ex ſe ſpirituoſus eſt, licet ex accidenti ſpiritus à nimia copia obruantur, ut ſupra dictum fuit. Galẽ. 4. de rõne uic. com. 24. Gal. uero aperiebat baſilicam. Sed ſi plenitudo ex ſuppreſſis

mensibus sit exorta saphena aperiēda erit si suppressæ fuerint hemorrhoides, uenæ partium infernarum similiter erunt reserandæ. Quantum uero spectat ad cucurbitulas si fiat syncope à causa sensibiliter euacuante, & ex fluxu aliquo materiæ sed per determinatas partes ex Gal. in syncope ex fluxu sāguinis narium applicandæ cucurbitulæ nō scarificatæ hipochondrijs, dextro nempe dum fluit ex nare dextra, sinistro autem dum fluit ex sinistra in syncope uero ex immoderato fluxu mensium applicādæ sub mām̄is. quia hoc pacto respicimus reuulsionem tum materiæ fluentis, tum spirituum, qui ad intimas partes feruntur. Vnde ijsdem de causis probātur etiam uehementes frictiones, & ligaturæ. Et ideo etiā in syncope ex immoderato alui fluxu ex Gal. sententia utēdum frictionibus & ligaturis supernarum partium, infernarum vero in uomitu immoderato. Iisdem remedijs nempe cucurbitulis, frictionibus, & ligaturis multo magis utendum est dum actu adest syncope ratione causæ suffocantis, quæcunque, sit, ut spiritus, & materiæ, quæ retrahuntur ad intimas partes, ad extimas, reuocentur. Et si causa suffocans fuerit ingens dolor, hæc omnia reuulsionis gratia in partibus oppositis administrāda. Ad hęc dum actu adest syncopæ præter ea, quæ dicta sunt. oportet trahere nasum, capillos, & barbam, & alta uoce proprium nomen uocare, & os ui aperire, & aliquod quod facultatem excitet, ut Verbi gratia sal, uel aliquid aromatis in illud immittere. Contra uero si euacuatio fiat per omnes corporis partes, & per ambitum totius corporis, siue sit sensibilis, ut immodicus sudor, siue in sensibilis, ut in spirituum tenuitate, habitus raritate, & biliosorū humorū nimia tenuitate, oīa superius relata fugienda sunt, & utendum flabellationibus, frigidæ inspersionibus, & id genus aliis, quia magis potest causa euacuans per omnes corporis partes ad indicandum adstringentia, & repercutiētia quam spirituum motus ad centrum ad indicandū reuellentia. Vbi autem adstingentia primo fuerint administrata, & horum uirtute euacuatio suppressa, si non reuertantur, Tunc licet aliquo pacto, & uociferationibus, & trahendo capillos, spiritus ad exteriores partes reuellere. Hunc ordinem in remediis administrandis insinuauit Gal. sic inquiens. Quæ uero ex nimio calore accidunt, iis quæ refrigerandi, & roborandi uim habēt

Galē. 1. ad Glau. c. 14.

curandæ

" curandæ sunt. hæ uero maxime eueniunt iis, qui in aere suffo
" cāte, ac balneo commoratur, statim igitur ipsos corroborabis
" si aqua frigida sparseris, & flabellaueris ad uentū conuersos,
" & os uētriculi per fricueris, atque agitaueris, ac postmodum
" vino, ciboque refeceris. Idem prorsus dicendum de syncope quæ ex nimia inædia, & fame naturali fuerit excitata, nam frictiones, & ligaturę omnino fugiendæ, quia (ubi fames laborandum nō est) dicebat Hip. sed magis expedit ambitum totius corporis uentillationibus refrigerare, ad hoc ut alimentum & corpus non ita dissoluatur. Hipp. 2. aphor. 16.

Medicamenta quæ virium exolutionem et præsentem et imminentem respiciunt. Cap. VIIII.

QVantum spectat ad medicamentum ex Gal. sentētia semper optimis odoribus uti expedit, qm̄ ut supra dictum fuit spiritus imminuti ex duplicis materia aerea videlicet, & sanguine, sed potissimum uaporosa reficiendi sunt ideo vbi solummodo deficiuut spiritus, non autem humores. quemadmodum accidit in uirium exolutione, quæ fit ab immoderatis animæ effectibus, Gal. contentus fuit solis odori- Gal. 1. ad Glauc. c. 14. cir. fin.
" bus, quia in his non deficiunt humorres, propterea dicebat,
" Si uero ob tristitiam, aut gaudium, aut timorē, aut iram exol-
" uantur, odoribus, & narium apprehensionibus sunt reuocan-
" di, cogendique ad uomitum, addit autem cogendos esse ad uomitum, quia in ira, in timore & alijs affectibus, humores excremētitij. & præsertim biliosi, & tenues ad uētriculum effundi solent. Si uero pręter spirttuum inanitionem, contenta quoque inaniantur, ut in superfluis euacuationibus fieri solet, præ
" ter odores, qui diriguntur ad impetētia, & ad materiam spiri-
" tuosam, utendum etiam his, quæ contenta, & humores exina-
" nitos restaurare possunt. Ideo dicebat Gal. confestim quidem Galen. lib. cit.
" hi optimis odoribus fouendi sunt, paulo post autem sorbitio
" nibus concoqui facilibus sunt reficiendi. Odoribus pariter de
" quibus dictum est, & eodē modo qui ex uulneribus, aut pur-
" gationibus, aut doloribus, qui in articulis, neruis musculorū
" tendonibus eueniunt, exoluuntur, statim sunt reuocandi post
" modum uero conueniens passioni curatio est afferenda. quod

si do-

ſi dolor colum inteſtinum, aut ileum infeſtet, præter ea, quæ dicta ſunt odores videlicet & frictiones extremorum, loca dolentia ut inquit Gal. concalefacienda erunt. Ex quibus colligimus ne dum in cauſa euacuante, uerũ etiam in ſuffocante odoribus occurendum eſſe. Si enim in exolutione propter nimiũ timorem his utitur Gal. ergo in reliquis eiuſdem generis cauſis non erũt innutiles. hi autem ſint diuerſæ qualitatis pro cauſæ diuerſitate. Verbi gratia in ſyncope ex cauſa calida, & euacuante laudatur aqua permixta cum aceto cum omphacio. ita laudatur ſuccus citri, arancij. & his aſpergenda facies ęgrotantis, & etiam intra os debent immitti, & oris partes irrigandæ.

Galen. 12. met. 6. Inſuper Gal. p̃cipit in ſyncopali minuta, eſſe inungendos aſtrictorijs unguentis. cõtra in ſyncope à cauſa frigida nares, & partes oris obliniantur uino aromatico (dummodo dolor capitis non infeſtet) uel conſimīli. In ſyncope autem ex fame ſiue naturali, ſiue præter naturam, ut in buliſmo, mirificè conducunt odores alimentales ex alimentis uidelicet ut ex carnibus aſſis prodeuntes. Quod ſi nonnunquã in ſyncope hiſterica utimur fœtidis odoribus tunc non ad ſpiritus, ſed ad cauſam ipſos corrumpentem, uteri uidelicet ad ſuperiora retractionẽ, oculos dirigimus ut in ſermone de uitijs uteri dictum fuit. In ſyncope uero ex immodica ſuffocatione & nimia ſpirituum concentratione præter frictiones & ligaturas, & alia omnia, quæ fuere propoſita, expedit intra os immittere Theriacã, uel aromata, uel etiam ſal, ut facultas ueluti obdormiẽs excitetur. ita proficua ſunt ſternutatoria ex ſucco maioranæ, nigella, naſturtio, & dum urget neceſſitas elaterio cum lacte. quod ſi non poſſint haberi prima uice, expedit uti turunda ex ſapone cum ſale uel pipere inſperſa, & in naribus immiſſa, & ſi non ſternutent, nec refrituantur, & nullum adſit uicium in meatu olfactorio deſperata res eſt. Quod ſi fuerimus in p̃ſeruatione uaria adminiſtranda ſunt pro diſcrimine cauſarum. Verbi gratia ſi fiat ex uaporibus febris peſtilenris occurrendum febri, ellectuarijs, & epithematibus cordialibus exſiccantibus aperientibus, & refrigerãtibus. Si immineat ſyncope ex materia biliosa uentrtculum occupante dandum uomitorium ſi ſit pronus ad illud ex aqua tepida, uel hydreleo. Vel detur leniens, quod protrudat materiam ad infernas partes & uentriculum roboret ac-

ret accipiendo gratia exempli sir. rof. folut. mannæ eslectæ an. vnc.1.& se.decoctionis (quia citius paratur) drac.iij. Tamarindorum quantum satis sit. Si autem immineat ex succis crudis,& superfluitatibus pituitosis occurrendū frictionibus, & ligaturis, & si nō ita statim immineat laudantur species hieræ,mel rof.sol.licet uti clysterijs,deinde sunt sirupi calefacientes ad materiā frigidam ut de corticibus citri, de stechade, cū decocto mellissæ, betonicæ,hisopi,sampluci,& propterea Gal. loquens de febre syncopali humorosa dicebat. Ad eundem modum & medicamenta,quæcunque saltem sumere febricitans homo potest, extenuantia,calefacientiaque sunt afferenda. Sirupi refrigerantes sūt sirupus de succo accetosę, de boragine, de pomis, de seminibus raphani. quę omnia sunt cordialia.licet etiam cum Auic. ut præseruemus,uti purgantibus,sed mitioribus, & semper miscenda theriacalia, ut aromata,stechas,melissa. Verbi gratia ratione succis melācholici, ℞. epithymi drac.1.& sem.fol.sennę drac. 2. passularū dulciū drac.3 ging.macis gariof.an.scrop.se.decocti borag.& mellissę q.su.f.infusio per tempus debitum &c.& deinde. Adde mellis rof.sol.vnc.2.dyagridij (ut sit stimulum cæterorum, & diu non permaneant in uentriculo)gra.3.m.f.potio breuis. In materia pituitosa non est relinquendum agaricum (est enim cordiale)cum cinamomo correctum. Facta purgatione utendum corroborantibus cor.unde si uitium fuerit calidum cor extrinsecus fouendum cum aqua rosata,acetosæ,uiolata,endiuiæ, & ratione penetrationis addatur acetum rosatum, sūt etiam inunctiones ex unguento sandalino uel simili.Intrinsecus laudatur saccharū rosatum uiolatum, sirupus de pomis,electuariū de gemmis,conserua,acetosæ.si uero uicium sit frigidum probātur magnæ confectiones. & reliqua in curatione frigidi tremoris superius in secundo libro proposita.

Galen. 12. met.c.5.in fine.

In Virium exolutione tum præsente tum imminente, quæ nam uictus ratio sit expediens. Cap. X.

POstremo si de uictus ratione sermo fiat. Aer ab omnibus inquinamentis purissimus sit, & cum cordialibus alteratus & si immineat syncope ex causa suffocāte sit temperatus.

Q si autem

si autem immineat ex causa euacuante sit frigidus astringens, uitium capreolis, rosis, mirris, cidonijs alteratus. si uero sint in accessione aer potius ad frigidum uergat. unde Gal. in syncope ex sudore iubet, ut domus eligatur uentis obuia, & alteretur aer refrigerantibus, & densantibus propositis. Quo ad cibum si immineat syncope pro diuersitate causarum diuersus instituendus cibus exempli causa, si immineat à causa uenefica, ut pote in febre pestilenti exhibenda aqua carnis alterata cum acetosa, quinque follio, cum auro, margaritis & alijs de quibus loquendum in sermone de febre pestilenti. similiter imminente syncope à causa inaniente & euacuante laudatur ab Auic. aqua carnis destillata, quæ ut inquit ipse est fortioris nutrimenti quam sit uinum, & ut sit etiam auxilium crassefaciens potest addi in hoc casu carni caponis malũ punicum. Gal. similiter loquens de syncopali minuta dicebat. Tum cibi ijs dandi qui non admodũ prompte diffluant, non aqua mulsa, non ptissanæ cremor, sed panis, & sorbitio ex alica, & fructus austeri, & qui non facile corrũpantur. & quæ sequuntur. cõtra in syncopali humorosa dicebat. Porro exhiberi his oportebit non copiose semel, nec quæ crassa frigidaue potestate nutrimenta sint, sed quæ ex genere extenuantium, calefacientiumque sint. idem de reliquis causis dicendum est. Quod si syncope sit in actu occurrendum potius potu, quã cibo, quia masticare nequeunt. inter potiones autem nulla præstantior uino, propter causas superius allatas, excogitari potest: quo tamen, ne patientes detrimentum aliquod suscipiãt, omni cum cautella, utendum est. Quare si primo immineat syncope ex suffocatione, & propter materiam copiosam, uinum ex Gal. exhibendum non est, cum potius adimere, quàm addere sit conueniens. Si uero immineat propter crudorum succorum cõpiã & uirtus non sit imbecilla à vino abstinendum est. nã magis potest materiæ cruditas ad prohibendum, quam virtus ad indicandum. at si vires sint imbecillæ ne prorsus collabantur uinum est exhibendum, dummodo nec uentriculus, nec iecur phlegmone laboret. Hæc sunt Gal. uerba memoratu digna dũ loquẽs de sncopali humorosa sic ait. Si maior iusto superfluorum impetus ad aluũ citetur, principio quidem percoquere mulsam amplius oportebit, ea namque sicut minus aluũ subducit,

Marginal notes: Gal. 1. ad Glau. c. 14. — Galen. 10. met. c. 3. — Galen. 12. met. c. 6. — Galen. 12. met. c. 5. in fine. — De uini exhibitione. — Galen. 1. ad Glauc. c. 14. — Galen. 12. met. ca. 3. cir. med. — Gal. loc. ci.

" ducit,ita magis nutrit.post hæc si superuacua largius descen-
" dant,nec sic quidem sistenda, sed dandus pro aqua mulsa pti
" sanæ cremor.Si uero fluere pergant alicę sorbitione nutries,
" pulsuum interim ratione obseruata. aliquando enim subito
" ad imbecillitatẽ,uel inæqualitatem,uel paruitatẽ mutantur.
" quo tempore panem ex uino diluto exhibere cõueniet, utiq;
" si nec uentriculus,nec iecur phlegmone laboret:quãdo,si hęc
" infestetur corpore crudis succis referto, plane desperata salus est pulsibus sic mutatis. Quod si immineat uiriũ exolutio pro pter causam euacuantẽ,cõsiderandum an adsit febris nec ne, & si connectitur febris,oportet perpendere an accessio febrilis iã immineat,& sit proxima, uel remota,si accessio sit proxima,& immineat lipothymia nõ est exhibendum uinum:si immineat syncope concedendum est, quia tunc magis potest uirtus ualde imbecilla ad indicandum quàm febris ad prohibendum.Vnde Gal.in iuuene illo,ut uirtus noxam illam, nempe syncopem,sustinere posset,nõ modo dabat uinum,sed concedebat cum pane,uel alica,uel farre, ut hæreret substantiæ nõ ita dissipabili.Quod si accessio non ita sit proxima ex Gal.uinum exhibendum est (nam febris parũ potest in hoc casu ad prohibendum)sed oligophorum seu limphatum. Si autem nõ sit periculũ de febre vinum pbere oportet. Et si immineat ex sudore,uel simili causa detur actu frigidũ, si ex fluxu sanguinis,sit austerum,& astringens. Qđ si altera ex parte syncopis in actu consistat,si fiat ex.nimia plethora non est exhibẽdum uinũ, quia virtus à nimia copia suffocatur.Ad hæc si eger detineatur pleuritide,uel angina, uel pneumonia,uel aliqua alia uisceris pstantis inflammatione, & inflammatio,seu phlegmone sit in principio,uel augumẽto uinum debet euitari.præsertim quia loco ipsius possumus exhibere aquã carnis, quæ ex Auic.magis nutrit quã vinũ,& ut uelocis sit iuuamenti,& celerime nutriat immiscendum aliquid aceti uel succi citri,& idem obseruandum in febre maligna,& pestilẽti, in qua quãtũ fieri põt uinum fugiẽdũ est.In reliquis casibus,ut colligimus ex Gal.dum loquitur de febre syncopali,siue minuta,siue humorosa,semper uinũ præbere cõueniet.Tandẽ quãtũ spectat ad vini qualitatẽ conditionesque, Gal.uniuersaliter præcipit in qualibet syncope utendũ esse uino, quod celerem in cor-

Galen. 10. met.c.3.

Galen. 12. met.c.3.in fine.

Vini qualitas & cõd.

Galen. 12. met. c. 3. in fine.

pus digestionem adiuuet. ideo loquens de syncopali humorosa ita scribebat. Si aūt ad eos, quos syncope iam præmit, sis accitus, si ea, quæ retuli loca phlegmone uacent, panē exhibebis non multum, huncque ex uino aliquo, quod celerē in corpus digestionem adiuuet, & si æstas sit, & regio naturaliter calens, & æstuans, aut status coeli uehementer calidus, cum frigida uinum dabis. si nihil eiusmodi sit cum calida. Quæ tamē secundo & tertio dabitur potio omnino calidā exhibendā curabis. Quippe ad vniuersam curationē, cuius gratia frictiones adhibuimus, calidum præstat, utpote crudorum succorrum concoctionem ad iuuans. deinde loquens de syncope ex materia biliosa sic inquit. At quibus ex flaua bili, quę os uentriculi

Galen. 12 met. c. 4. in princ.

infestet, syncope incidit, ijs frigida exhibenda potio est, vinū tamen, quod & calidum natura sit, & deductionem in corpus promoueat, omnibus quos syncope male habet, offerre conueniet: distribui nanque per corpus nutrimentū, quod sumptum est, non in ventre manere volumus constat autem ex vinis ea diligenda esse, quæ & flauo sint colore, & substantia tenui, & ætate vetera: talia nimirum & boni odoris continuo fuerint. cæterum amara præ vetustate cauenda, præsertim in his, quorum stomachus flaua bili vrgetur. laudabilem enim vini succum iam amiserunt, & iniucunda cum sint stomachū lædunt. commodissima igitur his uina sunt, quæ cum naturaliter austera sint, sensilem iam astringendi uim propter vetustatem non amplius exhibent. calorem tamen admodum euidentem habent: omnia enim quæ requirimus, in ijs, quorum stomachus amara bili uexatur efficiēt, cum & iucunde sumantur, tum ad concoctionem, tum ad digestionem in corpus ēt faciant, & succi vitium mitigent, & corporis habitum excalfaciant, & stomachum ipsum firment. & paulo post. Quibus tamen ex crudis humoribus syncopes periculum imminet sane Falernum tanto iam memoratis præstat, quanto tum melioris est succi, tum etiam calidius, utpote, quod & uelocius illis per corpus digeretur, & crudis succis concoquendis auxilio erit, & circa finem capitis ait. Austera uina uentriculum roborant, caputque inter omnia minime tentant. cæterū digestionem in corpus non promouent, quo magis fugienda in syncope præhensis sunt, non secus quàm aqua. & paulo infra, in pe-

nuria

,, nuria uero uini, quod accõmodum utrique syncope sit fugere
,, oportebit omnia tum austera, tum noua, itemque crassa: deli
,, gere uero aquosa, magisq; si sint antiqua talia nanque & si nõ
,, ualenter excalfaciant, tamen facile in omne corpus deducun-
tur. Deinde respiciens Diuinus uir ad materiæ cruditatem, lo-
quens de syncopali humorosa dicebat. His & aquosum uinũ
,, idoneum ab initio statim est, dũmodo uehementer non febri
,, citent, quod haud sane frequenter in hoc affectu fieri assolet:
,, magisque si qui laborant senes sint prębendum ijs. & innuẽs
,, tempus particulare subiungit. post quamque cibationem ui-
,, num est. & in sequenti capite loquens de syncopali minuta,
,, sic ait, Vinũ uero ijs aquosum necessarium inter initia est, sũ-
,, ptum post cibum. Quare sepissime eandem sententiam repe-
,, tens semper proponit uelocem in corpus nutrimenti dedu-
ctionem. ut, præter cætera, tria porissimum respiceret. nempe
uelocissimam nutritionem, spirituumque deficientium repa-
rationem, uentriculi roborationem, & ipsius ab excrementis
expurgationem (nam ipse tum propter situm, & uicinitatem,
tum propter colligantiam merito neruorum, cordi proprias
noxas facillime immpertire solet) nec nõ spirituum, qui repen
te in cor aggregantur (vt in definitione dictum est) ad totius
corporis ambitum propulsionem. Et hæc de cordis Vitijs, ad
laudem, & Gloriam summæ virtutis dicta sint.

Galen. 12. met. ca. 5. in fine.

Cap. 6. cir. finem.

FINIS.

REGISTRVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q.

Omnes sunt duerniones.



V E N E T I I S,

Apud Paulum Meietum Bibliopolam Patauinum.

M D LXXXVII.